A. Mon. 144

Ao Convento Monacense
Ord. Crem. S. Augnj.
j 733 j.

257.

<36613520450013

<36613520450013

Bayer. Staatsbibliothek

Bayerische
Staatsbibliothek
München

IDEA ORDINIS Hierarchico-Benedictini,

sive,

BREVIS

DELINEATIO,

Exhibens

Principatum, Clericatum, Scientiam, Actionem & Antiquitatem

ORDINIS

S.P.BENEDICTI:

Dissertationibus Juridico-Historicis Illustrata.

R

A

P. FELICE EGGER,

Ejusdem Ord. in Imperiali Monasterio Petrhusiano professo, SS. Theol. & Sac. Can. Licentiato, ejusdemque SS. Theol. quondam professore &c. &c.

Cum Licentia Superiorum.

Friburgi Brisgoiæ, typis Jacobi Handler, 1715

Veritas vincat, necesse est, sive negantem, sive confitentem. *S. Augustin.*

REspondendum denique, ne jam non reverentiæ, sed diffidentiæ esse incipiat, quod tacemus, & dum criminationes falsas contemnimus, videamur crimen agnoscere. *Cypr. init. libri contra Demetr.*

Sed quid faciam? Veritas os referat, & invitam linguam conscium ad eloquendum pectus impellit. Verum enim invenire volumus, non tanquam Adversarium aliquem convincere. *S. Hieron. adverſ. Lucifer. c. 7.*

ANGELO PACIS.

AMabilissime ANGELE! TIBI, nec alteri, hæc folia; TE unicè spirantia, ambientia & deposcentia. Ah! quàm neglectus hucusque jacebas! totâ Europâ in exitiale, non inter profanos modò Principes, sed Ecclesiasticos etiam Præsules, bustum subsidente. TU percepisti hactenus clarissimarum

urbium tuas in aures illabentes ejulatus ; tuis ſub aſpectibus Heroum ſanguis tepuit , natavítque laniena tot civium ; ſenſiſti profundo cum dolore matronarum illudia , Virginum dehonorationem , ſacrorum deſpicatum. At poſtliminiò redux tandem , olivam Pacis lætus reportaſti , cum juſſu : *ceſſa Miles!*

In ipſis præterea Sanctuarijs , ubi frater inſurgit in fratrem quanta tui oblivio! Hic ſtringit calamum , ille acuit ſtylum , iſte obteſtatur fidem Judicum , alter falſum producit teſtimonium : omnes quæ ſua , non quæ TUA ſunt quærunt , corruptis omnium ferè judicio-

rum

rum ſubſellijs: in quibus *perijt, qui non fallit*: (a)

Hoc unum nobis non modico ſit ſolatio, quod tui amore dimidiam juris noſtri portionem cedere, parati fuerimus. Sed pervicit tua repagula litigandi libido. At, quo demum fructu & lucro? Fraternæ charitatis diſſolutione; vicinitatis amicæ convulſione; hoſtium, qui ex adverſo ſunt, plauſu & cachinnatione; crumenæ tandem bene nummatæ evacuatione: *Potuiſſet unguentum hoc dari pauperibus*; exultantibus *Pacis Angelis*, non *amarè flentibus*.

Sed hæc humanæ ſortis cala-

mitas

(a) *Sfondr. in Præfat. ad Reg. Sacerdot.*

mitas à Mundi incunabulis extitit, ut fraterna ſtatim æmulatione, cæde ac cruore contaminaretur.

TU verò, ANGELE PACIS amantiſſimè! noſti quàm optimè, quo animo hæc folia ſint exarata; ut confractis ac poſitis armorum, inutiliter pugnantium, ſpiculis, & tu in Sanctuaria tandem gratus admittaris, quando jam Cæſarum, Regúmq; palatia non inviſus ſubijſti; ut oliva tua in choro pariter vireat, & floreat, quando in foro jam viget; ut frater fratri dextram porrigat, quando hoſtes mutuos ruunt in amplexus.

Pia ſecundet vota Numen ter maximum, & TE, tuámque oleam æternare ubique faciat.

Approbationes Universitatis Colonienſis &c.

Prima.

QUod ſi crudelem Jura eum, qui famam pari cum vita paſſu ambulantem negligit, palam proclament: juſto profecto titulô ad inclyti Ordinis S. Benedicti *Principatum*, *Clericatum*, *Scientiam*, *Actionem* & *Antiquitatem* generosè ac gloriosè tuendam provocatus calamum ſtrinxit Admodum Reverendus & Clariſſ. Dominus ac Pater Felix Egger præfatæ familiæ ſacræ in Abbatia Petrohuſana Profeſſus, SS. Theologiæ LICENTIATUS ac ad Divum Trudpertum ejuſdem Lector in *Idea Ordinis Hierarchico-Benedictini* ab ipſo admodùm feliciter conſcripta; quam cùm ſtudiosè perlegerem, tam *modeſtè* enucleatam offendi, ut nequidem irritantis, & ad reſpondendum provocantis minus circumſpecti Adverſarij nomen in ea expreſſerit; minùs ullum ei aculeum infixerit; tam *ſolidè*, ut omnia Antagoniſtæ ſui tela abſque vulnere eliſerit; tam *eruditè*, ut brevitate perſpicuâ Ordinis ſui prærogativas, antiquitatem,

tem, & præcellentem in Ecclesia Dei statum nervosè descripserit; tam denique *religiosè*, ut nullam fidei, aut bonorum morum lcoriam imbibat. Quare, me Judice, Idea hæc meretur, ut accedente, quorum interest, approbatione, præli beneficio lucem aspiciat. Dabam Coloniæ Aggrippinæ Anno reparatæ Salutis M. DCC. III. die decima quarta Mensis Octobris.

Joannes Forsbach in alma Universit. Colonienſi SS. Theol. Doctor, Subsenior, Publicus & Ordinarius Professor, prædictæ Universit. p. t. Rector.

Secunda.

ENimverò lucem meretur publicam Libellus, in quo, tánquam in IDEA, Author Admodum Reverendus & Clariss. Pater Felix Egger celeberrimæ Abbatiæ Petrohusanæ Professus, SS. Thlgiæ. LICENTIATUS, & ejusdem in Monasterio ad S. Trudpertum Lector, sacri sui *Hierarchico Benedictini Ordinis Principatum, Clericatum, Scientiam, Actionem & Antiquitatem* tam modestè, clarè & solidè exhibet, ut non offendat. Quod itaque meretur, præli beneficio consequatur: Quô lucem afferat omnibus, non tantùm, qui in Domo, id est, inclyta Benedictinâ Familiâ sunt, sed toti Christiano Orbi. Ita

censeo

censeo Coloniæ Ubiorum 25. Novembris Anno 1703.

Cornelius Brewer SS. Theol. in alma Universitate Colonienſi Doctor, Ordinarius & publicus Profeſſor, Collegiatæ Eccleſiæ ad S. Severinum Canonicus Capitularis & Chori-Epiſcopus, nec non Parochialis ibidem Paſtor, per Civitatem & Archi-Diœceſin Colonienſem Cenſor Librorum Ordinarius.

Tertia.

Libellus hic, cui titulus: Idea Ordinis Hierarchico-Benedictini, ingeniosè & artificiosè ab Admodùm Rev. ac Clariſſ. Domino Pátre Felice Egger ejuſdem ſacri Ordinis, ac celeberrimi Monaſterij Petershuſani Profeſſo elaborata, ſic contra quoſcunque defendit pervetuſta Ordinis ſui Privilegia, Præcedentias, Prærogativas &c. ut meritò omnibus totius ſacræ Benedictinæ Religionis Religioſis. non ut Idea ſolùm, ſed & velut verum ac genuinum Prototypon ſingulis per publicam typi divulgationem Urbi & Orbi offeratur & afferatur. Unde cenſeo, juſtum & æquum eſſe, ut prælo mandetur. Coloniæ ad Rhenum in Conventu Sanctæ Crucis Ord. Præd. die 25. Septem. Anno 1703.

Fr. Albertus Grünewald Ord. Præd. in Univerſitate Colon. SS. Theol. Doctor & Profeſſor Ordinarius.

Quarta.

IDea Ordinis Hierarchico-Benedictini suis coloribus pro celeberrimi Ordinis decore est ita aptè delineata, ut excellentia pulchritudinis suæ omnium oculis gratiosa videatur & amabilis. Proinde dignissima judicatur, quæ, mediante prælo, publico Fidelium conspectui fructuosè proponatur. Datum Coloniæ in Conventu S. Crucis Ordinis Prædicat. Anno 1703. die 25. Septembris.

Fr. Petrus Dietinger Ord. Prædicat. SS. Theol. Doctor & Professor Ordinarius.

Quinta.

EGo infra scriptus legi librum, cui titulus: *Idea Ordinis Hierarchico: Benedictini &c. Dissertationibus Iuridico-Historicis illustrata à P. Felice Egger, ejusdem Ordinis &c.* In quo nihil inveni contra fidem vel bonos mores. Et licèt tractet materiam alioqui invidiosam, de præcedentia sui Ordinis ante aliquos Canonicos Regulares, tamen cùm id faciat satìs modestè, nec improbari possit, si quis rationes suas proponat, paratus stare judicio ac determinatione Superiorum; judico librum publicâ luce dignum, præsertim cùm multa alia habeat valde digna lectu pro notitia & justa commendatione laudatissimi Ordinis S. Benedicti. Coloniæ 18. April. 1707.

Claudius la Croix Societatis JEsu, in Universitate Colonienſi SS. Theol. Doctor & Professor publicus.

APPROBATIO

Anglo-Benedictina.

LIbellum, cui præfigitur titulus: *Idea Ordinis Hierarchico-Benedictini &c.* ab Adm. Rev. P. & clarissimo Domino Felice Egger ejusdem Ordinis, in Imperiali Monasterio Petro Iusiano Professo, SS. Theologiæ Licentiato & Professore doctè & feliciter conscriptum, attentè & studiosè perlegi. In eo eruditissimus Author antiqua sacri Ordinis nostri Benedictini privilegia, variásque ejusdem prærogativas clarè demonstrat, solidéque defendit, & Christianæ charitatis, ac religiosæ modestiæ memor, cujusdam Antogonistæ (suppresso nomine) tela, absque ullis verborum aculeis dextrè, nervoséque elidit & retorquet. Nihil in eo reperi; quod honestatem morum aut Orthodoxæ fidei puritatem lædit; multa verò, quæ eruditionem Authoris monstrant, & pietatem spirant. Quapropter justum esse & æquissimum censeo, ut, mediante prælo, lucem aspiciat. Dabam in Monasterio Sanctorum Mart. Adriani & Dionisij, vulgò Lambspring. die 24. Febr. Ann. Dom. 1706.

F. Joannes Townson, Congregationis Anglo-Benedictinæ Professus. SS. Theol. Doct. & Prothonotarius Apostolicus.

EVOLUTIO EMBLEMATIS:

SEU,

FRONTISPICIJ EXPLICATIO.

NE in ipsa statim fronte Lectori imponere, aut imperitorum oculis illudere videamur, totius Emblematis [quod Frontispicij, ut vocant, serviat loco] rationem pauculis hîc declarare placet.

En! ùt sanctiss. BENEDICTUS, curru triumphali sublimis, grandævi senis speciem referens, vario symbolorum, ac Lematum apparatu, comitantiùmque frequentia cinctus, provehitur!

Sedet

Sedet beatissimus Pater, cum lemate: *Et Antiquus dierum sedit. Dan. 7.* ut intelligas, *senectam venerabilem*, post devictos Æmulorum insultus, dignam omnino quiete, ac glorioso meritorum, honorísque vehiculo.

Utrumque cingunt, ac circumvolant latus duo genij, tubâ canentes, cum Lemate: *pro Ecclesia, & Imperio.* Et hi quid innuunt, nisi sanctissimum PATREM, ejúsque Filios in *Ecclesiæ*, ac totius Orbis, *Romani* maximè *Imperij*, obsequium ab ipsis incunabulis destinatos?

Currum dirigit sacra RELIGIO, cum Lemate: *Religio Hierarchica.* Ut demonstretur, in Religione Benedictinâ universa reperiri constitutiva, quæ ad *Ordinem* verè *Hierarchicum* requiruntur, id, quod plenius adhuc exprimit quinarius Leonum, currum trahentium, numerus; quorum primus exhibet *sacrum Principatum* cum Lemate: *Confortatus est Principatus eorum. Psal.* 138. Secundus, *sacrum Ordinem*, seu *Clericatum*, cum Lemate; *Inter medios Clero:*

Psal.

Psal. 67. Tertius, *Scientiam*, cum Lemate: *Dedit illi Scientiam Sanctorum. Sap.* 10. Quartus *Actionem*, cum Lemate: *Spiritu Dei aguntur. ad Rom.* 8. Qnintus denique, *Antiquitatem*, cum Lemante: *In Senectute uberi. Psal.* 91.

At quorsum Genij *habitum Benedictinum*, in aëre pendulum, versus Cherubinum explicantes? ut pretium ejus agnoscas, & sanctitatem, quando per *sex alas* tam venustè cum *habitu Cherubico* symbo'izat, teste Bonifacio IV. Nec in minori reponas loco ipsum adeo ABBATIS titulum, quem cum Christo communem habent Benedictinæ Familiæ Præsides.

Sacro porro *Ordine*, ac regalis Sacerdotij charactere suos Alumnos donat, ac insignit ipsus certè sanctissimus BENEDICTUS, quando eosdem illis verbis: *Vos Sacerdotes Domini vocabimini: Isa.* 61. compellat, & in ipsa sua Regula *Sacerdotio* eos initiari, jubet.

Hos ipsos verò cum ipso sanctissimo PATRE *divinitus* fuisse ad *Prædicationis* munus destinatos, innuit cœlestis Ge-

nius

nius, ſacram offerens *ſtolam*, ac *librum Evangelij*, cum Lemate: *Euntes prædicate. Matth.* 10.

Currui adſtant gemini Ephœbi: quorum unus *gladium* offert & *Mundi globum*, cum Lemate: *Conſtitues eos Principes &c. Pſal.* 44. inſinuando: Benedictinos ſubinde Alumnos, inter ipſos etiam populi Principes collocandos. Alter *doctoralia* exhibendo Inſignia, docet: Eoſdem, ſcientiâ tam ſacrâ, quam profanâ illuſtres, exemplo ipſius Sanctiſs. BENEDICTI, magno Eccleſiæ bono, Juventutem ſemper inſtruxiſſe, & etiamnum inſtruere: neque eos Doctorum Inſignia, ac docendi munia [ut nonnulli, livore perciti, perperam exiſtimant] dedecere.

In Genio denique, ſuper ſanctiſs. PATREM *Inſigne* ipſius Gentilitium tenente, intelligas: univerſa virtutum, ac gloriæ decora, quæ in alijs cernuntur diſperſa, in uno BENEDICTO reperiri unita.

En, Amice! genuinam Benedictini Inſtituti, quam exhibemus, *Ideam*: non

in-

intempestivo [oculus novit omniscius] jactantiæ Zelo incitati ; sed necessitate ab Adversario eò compulsi, ut convitia ac scommata , quæ in sacrum Ordinem nostrum proterve congessit , una velut lineâ , ac primo statim obtutu deleantur & abstergantur.

ANIM-

ANIMADVERSIO
In Adversarij Præfationem.

PErpendenti mihi, & accuratiùs examinanti Adversarij illam, quam Commentario suo præfixit, Præfationem, opportunè succurrit illud Eminentissimi Sfondrati nostri, de Ludovico Maiburgo crebrò conquerentis: *quod nemo veritatem pulchrioribus verbis, ac singulis fere paginis professus sit, nemo fœdârit turpioribus factis.* [a] Profitetur ille [noster Adversarius] *se Caramuelem & Alvisetum admodùm religiosè tractare, solas ipsorum rationes, non verò personas reprobando, nisi ubi vel necessitas, vel discretus Zelus acerbiorem exegerit stylum &c.*

Alterius porro Antagonistæ sui Msta. insectando, jactat, *eum lixivio nonnihil*

b *acer-*

(a) *Sfondrat. in præ lud. Gallia Vindic.*

acerbiore ſe abſtergere, ab omnibus tamen calumnijs & famæ detritionibus alieniſſimum, modeſtiæ religioſæ nunquam immemorem.

Larga profectò, & venuſtiſſima promiſſa, quæ tamen in ipſa hac ſua præfatione, ſuimet oblitus, peſſimè corrupit, hunc ipſum ſuum Antagoniſtam, *Scriptorem, veluti hodiernum è terra proruberantem fungum, ac ſcurram &c.* Vocitando; Caramuelem verò & Alviſetum in ipſo Commentarij ſui decurſu [ut conſtabit] indigniſſimis modis tractando; In ipſum denique *habitum* ac *ſtatum Monaſticum*, *nomenque* ac *dignitatem Abbatis* ſæviendo. Unde palam prodidit, quo animo in arenam deſcenderit, paſſionibus nempe, & vehementibus quidem, imbuto. *Paſſiones autem* [inquit ante citatus purpuratus San-Gallenſium Princeps] *tincturæ quædam ſunt, quas ſi animus ſemel imbibat, ægrè alium colorem admittet, rationis libram in unam partem præcipitant, multiſque modis veritatem excludunt. Veritas placidum animum requirit, quodratione & authoritate probatur.* [a]

(a) *Sfond. in Regal. Sacerd. prælud. §. 2.*

Verùm, *tantò ſecuriùs hæc juſtæ defenſionis tela in Adverſarium ſe contorquere*, gloriatur Antagoniſta hic noſter, *quod id agat cum ſapientiſſimo ſcuto trium celeberrimarum Univerſitatum Germaniæ, quæ totum ſuum Commentarium* NB. *impartialē erga eum calculo comprobarint.*

Diſcutiamus pauliſper, & ad incudem revocemus vel unius ſaltem (Colonienſis videlicet Univerſitatis) ſcutum, tentando ac pulſando, num ex ære, auro, an ſcoria, conſtet? Fabricavit illud *Theodorus Degens*, *SS. Theologiæ Doct. & Profeſſor Coloniæ Agrippinæ Librorum Cenſor.*

Magnum profectò nomen! At cujus ſtatûs, Profeſſionis, aut Religionis eſt iſte Degens? *Frater* eſt [ut alibi ſe ipſum ſubſcribit] *Profeſſus Ord. Canonicorum Regularium Provincialis, & Prior Coloniæ &c.* En! ſtatum, Religionem & Officia iſtius hominis. Quæ omnia aſtutè reticet Adverſarius, ut in ipſo ſtatim limine, & ipſa approbatione imponat Lectori, inſigni commento

partialem

partialem pro *impartiali* ſupponendo cal-lamum.

O infelix aſtutia ! Quale jam for-mandum judicium de aliarum , quas allegat , Univerſitatum approbationi-bus ? Verbo , & communi parænia rem totam conficio : *Semel deprehenſus &c.*

Cómparet interea Adverſarius *par-tialem* ſuam cum noſtris , mox ſuby-ciendis & ab eadem Univerſitate ex in-duſtria impetratis , approbationibus ; damnabit dubio procul cum rubore infelicem ſuam aſtutiam , noſtrúmque cum tot ac tantis Viris probabit can-dorem & modeſtiam.

Atque hæc paucula ſunt , quibus Adverſarij Præfationem perſtringen-dam duximus : reliqua , quæ in ea circa privatam ſuam adducit perſo-nam , ſuperis reliquendo.

IDEA ORDINIS Hierarchico - Benedictini; sive, *BREVIS DELINEATIO,*

exhibens

Principatum, Clericatum, Scientiam, Actionem, & Antiquitatem

Ordinis S. P. Benedicti:

Dissertationibus

Iuridico - Historicis

illustrata.

DISSERTATIO I.

Præliminaris.

Scriptionis hujus Occasio,

& Scopus.

SUMMARIA.

1. *Deploranda Religionum Aemulatio.*
2. *Acerbior, & bilis effusæ plenus Adversarij contra Monasticos Ordines calamus.*
3. *Resuscitatæ controversiæ initia &c.*
4. *Scopus & Finis hujus Scriptionis.*

N. I.

Deploranda Religionum Æmulatio.

INter fatales, quibuscum Ætas hæc nostra conflictatur, miserias, facilè princeps ea fuerit, quâ, indies vixnon latiùs serpente, Frater in Fratrem in-

surgere, Religio in Religionem (nullo licèt, nisi solius æmulationis, si rem inspicias, titulô) arma quærit stringere, ut nobilissimum inde Ecclesiæ Robur, & principalis Acies mutuis à se cædibus fœdissimè dilacerata, non sinè graviori clade, ac ingenti aliorum insuper ruina miserè succumbat. *Heu!* (exclamat Eminentissimus Sfondratus noster, *Gall. Vind. Diss. 1. §. 1. num. 1.* Catholicorum discordias cogitans.) *quàm inanibus, imò noxijs bellis occupamur, quando tot alia supersunt, & necessaria, & coronis digna, nullô que pugnantium damnô! quanta ubique terrarum scelerum, ac errorum messis est, quæ falcem, ac calamos Catholicorum expectat? quanti animarum fasces ideò pereuntium, quia Medicis carent, quorum ope sublevandæ? quanta rerum cœlestium & ignorantia, & contemptus? in tribunalibus fraudes? in castris impudentia? in aulis scandala & exempla vitiorum? his omnibus emendandis, quæ tantò majoris momenti & curæ sunt, quòd æternitatem ac cœlum spectant: omnium vigiliæ, & ingenia Doctorum sudare oporteret:* quæ stolidi tamen in semetipsos crebrò convertunt, non sinè altiori eorum, *qui ex adverso sunt,* cachinno, & scandalo.

In quo ipso tamen concertandi pruritu nonnullus adhuc veniæ locus esse videtur (si non prorsùs immoderatus sit ardor) quando & inter ipsos Apostolos legimus ejusmodi velitationes interveniisse, cùm, *quis eorum major esse videretur,* vehementer non minùs, quàm frequenter disceptarent. Consimilis scilicet æmulatio hodie-

hodiedum viget inter Viros etiam Apostolicos, ubi existimant nonnulli, aut alterius contemptu accrescere, aut ejusdem exaltatione plurimum decrescere suæ Religioni, in cujus materno veluti gremio nutriuntur.

Hinc sanè Glorioſissimi Patriarchæ Benedicti familiæ atrocissima hactenus discrimina incubuêre: quemadmodùm èt nuper adeo efferbuit Non-nemo, ut *Clericatûs*, seu *Ordinis* prærogativam non nisì *per accidens* Benedictinis competere audacter asseveraret; eô dein ex titulo, & existimatâ simul Ordinis sui *Antiquitate* omne *Nostris* Præcedentiæ jus, ac Possessionem turbare haud veritus. Cujus acerbum admodùm, & immodici fastûs, ut agnoscas calamum, Amice Lector! attentiùs inspice, quæ *f. 74.* inter alia ponit.

N. II.

Acerbior, & bilis effusæ plenus Adversarij contra Monastícos Ordines calamus.

PRæcedentia, (inquit *cit. pag.*) *censenda est res & causa magni momenti; ex his* (pergit, paucis interjectis) *proin consectarium est, peccare Prælatum, aut Communitatem, qui sibi patiuntur ab alijs injustè eripi præcedentiam & honorem debitum: Si enim peccatum sit, indebitè alienare bona Religionis temporalia, & materialia, quantò majus erit, honorem bonis omnibus, & ipsâ etiam vitâ potiorem, prostituere?*

Quæ ſanè ratio fuit, cur Sapientiſsimi Anteceſſores noſtri adeò conſtanter pro jure præcedentiæ, veluti pro Aris & focis dimicarent. Neque hîc morari oportet, quosdam Religionum fungos, quî ſicuti otij & ignorantiæ ſunt mancipia, ita & poſtremis collocari locis cupiunt, ac merentur.

Certè Sapientiſsimus & Pientiſsimus noſter Joannes Mauburnus in Venatorio cenſet, maximè curare debere Canonicos Regulares, ſuam dignitatem tueri, utpote quâ cæteris Ordinibus Monaſticis antecellunt, ſicut homo cæteris animantibus, & pulcherrima illa Sponſa gregibus ovium. Hæc ibi.

Alibi videlicet *pag. 50. 51. 54.* ita loquitur: *Monachi toto Cœlo à Canonicis differunt, ſúntque quà tales canonicæ dignitatis incapaces.*

Iterum *Cucullum* (ait) *eſſe ita Monachorum proprium habitum, ut Canonicis non nisì ob publicum crimen veluti in pœnam delicti injiciatur.*

Nunquid ejusmodi plumæ ſatìs produnt, in quem hæc volucris cenſum pertineat? unde luculenter vel obiter conſideranti liquet, quâ Adverſarius mente in arenam deſcenderit. Ideò nec illud miror, quòd in privata etiam Monaſteria, & Perſonas invaſerit.

Ad hæc verò univerſa meliùs dijudicanda, neceſſum erit inprimis, natæ inter nos his in Partibus controverſiæ ortum, progreſſus & cauſas ob oculos ponere.

N. III.

N. III.

Resuscitatæ Controversiæ initia, progressus, & incrementa.

ANno à Partu Virginis IMMACULATÆ supra millesimum sexcentesimo, septuagesimo tertio è Ducali Campidonensi prælo in lucem prodijt Opus *de Privilegijs Regularium*, Authore D. Virgineo Alviseto Bisantino Monacho Ordinis S. P. Benedicti in Sacra Insula Lerinensi &c. jam olim in Italia impressum, & approbatum Paduæ à Commissario Sanctæ Fidei, & à Reformatoribus Studij Patavini. Unicam in Opere hoc suo, cæterà ab ipsis etiam Adversarijs laudatus, Historiolam refert, à Reverendissimo & Illustrissimo Joanne Petro Camuz Episcopo Bellicensi in libro *Variet. Historic.* conscriptam; Hæc quia lepidum Rustici de Canonicorum Regularium vestitu Judicium continet, tam acriter pupugit prætactæ eximiæ Religionis Non-neminem, ut in aliqua concionum suarum Dedicatoria immoderatæ vindictæ studiô in universum Ordinem nostrum Stylo satis intempestivô invaserit.

Impetiti tam ferreâ aggressione Nostri non aliô, quàm legitimo Juris remedio usi sunt, apud Celsissimum Ordinarium de illatâ sibi injuriâ decenter conquesti: jussus proinde purga-

te ſe Adverſarius, reſpondit quidem, ſed eâ verborum formulâ, quæ plus jactantiæ, & faſtûs, quàm Religioſæ modeſtiæ ſaperet, id quod facilè colliges ex pauculis ejusdem formalibus, quæ ad R.mum ſuum D. Ordinarium ſcripſit, & hîc ego ſubjungo: *Quæ Reverendiſsima Dominatio de DD. Abbatibus Benedictinis ſcripſit, jam ante ſciveram, & multoties mihi civêre riſum; quæ ſcripſi in Dedicatoria, ſcripſi omnibus doctis in Sacro Ordine noſtro ſcientibus & volentibus, idq; longè fuſiore typo dabo alibi forſan ſub cenſura Romana. Si ad Reverendiſsimum Dominum Ordinarium devenerint, reſpondebimus in formâ cum illorum confuſione. &c.* Et paulò inferiùs ita: *Si ſapiant Benedictini, tacebunt, & non irritabunt crabrones: ſciant ita ipſos à nobis timeri, ſicut à Gigante pumilio: &c.*

In hanc epiſtolam Noſtrorum aliquis *Reſponſionem in Iure & facto fundatam &c.* ſcripſit, palámque & paucis oſtendit, quàm inconſultâ planè & cæcâ temeritate tot Adverſarius Principes, Abbatésque (& hos inter nonnullos Purpurâ ac Tiaris Epiſcopalibus inſignes) aliáque doctiſsima Benedictinæ Familiæ Capita pumilionibus comparando, incautus provocârit: At, quia præter Noſtrorum mentem ac votum Stylus plurimum bilis habebat, non permisêre Superiores, ut lucem aſpiceret. Unde incendium inter privatos parietes ſi non extinctum penitus, at ſopitum ſaltem fuiſſe, bonâ fide Noſtri exiſtimârunt. Sed ecce! latens hactenus quaſi ſub cinere ignis violentiùs & in publi-

cum

cum quidem erupit, cùm Adversarius Commentarium in Regulam S. P. Augustini edidit, in quo sepultam tantisper controversiam resuscitans, non Authorem modò *Responsionis*, de quo proximè dicebamus, sed Caramuelem insuper & Alvisetum admodùm indignè tractat: & certus quasi Victoriæ, turbatâ inter utrumque Sanctissimum Ordinem (quæ hactenus inconcussa steterat) Pace, classicum canit, hortatúrque suos ad præripiendam Nostris ubique præcedentiam: cujus tamen jus & Possessionem Benedictina Religio hactenus quietam habuit. Ut porrò meliùs persuaderet, in exemplum Juris jam exerciti allegat, Lateranenses de Casinensibus, & de Peterhusianis Creüzlinganos actu triumphâsse.

Sperabam equidem non defuturos è Nostris, qui honorem tam manifestè læsum vindicarent: sed reposuêre nonnulli, pertinere negotium ad eos, quos in specie Adversarius nominâsset: ego proindè, cùm Petri-Domûs tam frequenter, sed perperam allegatæ membrum & filius sim, licèt indignus, quamprimùm nactus sum Adversarij Opus (quô deficiente moliri nihil poteram) ex tempore statui mecum ipse Monasterij, & totius simul inclytæ Religionis nostræ honorem ac Jura, sicut morigerum addecet filium, Scriptione aliquâ pro viribus tueri: in qua finem mihi Scopúmque præfixi, proximo numero declarandum.

N. IV.

N. IV.

Scopus, & Finis hujus Scriptionis.

GEminam Adversarius ponit columnam, ad obtinendam suis coloratô saltem titulô aliquô Præcedentiam; primam in *Clericatu*, altera consistit in *Antiquitate*: hanc ab ipsis adeò Apostolis derivat; illum competere *per se* asserit suis, at Monachis duntaxat *per accidens*. Has igitur columnas evertere, sicut necessum, ita statutum mihi est, quia non habebit deinceps, quod solidè Nostris obijciat.

Quæ de *Actione* & *Scientia* subjungo, præterquam quòd Adversarius de his tractandi ansam non rarò subministrârit, exigit insuper ratio tituli, qui bina capita illa, præter *Ordinem*, seu *Clericatum* in suo conceptu complectitur, prout infrà docebo. Nec istud supervacaneum fore puto, quando permulti rerum Benedictinarum ignari, id Canalibus attribuunt, quod nostræ Religioni, ùt primo & originario Fonti, adscribere debebant.

Alter, quem proposui, Scopus fundatur in studio & amore Veritatis, quam tantopere violari, sicut minimè tolerandum erat, ita in ejusdem obsequium militare homini Sacris & Religioni addicto, utique conveniens, & non inglorium simul est.

Hinc tamen animus mihi nullatenus est, Statum Monastico-Benedictinum super Canonicorum Regularium elevare, ut sibi persuadere eorum

eorum nonnulli perperam possent: sed ostendere, per Characterem Sacerdotij illis æquales nos reddi; nec Nostros hortari, ut alienam sibi præcedentiam imprudentes arrogent, sed à Majoribus comparatam non negligant; nec pro eâ vindicanda Judicum subsellia fatigent, sed pacificè & amicè, si lis adhuc pendeat, componant; nec alios in possessione, si quam habent alicubi, perturbent, sed in propriâ se tueantur, in eadémque constanter perseverent.

Hæc verò à Religiosi animi Moderatione, reor, prorsus non aliena fore, nec ullius vel longinquum scandali periculum; hoc enimverò Adversario potius imminebat, utpote non verito, causam jam sepultam è cineribus quasi ad vitam typô publicô revocare, & vindices Jurium suorum Benedictinos acerbiori (ut in Præfatione ait ipsemet) lixiviô excipere. Spoponderat equidem, intra Religiosæ modestiæ limites sese continere; sed inflammatior subinde calamus in chartam conjecit scommata, honestis auribus duriora: indiguisset certè aliquo (ut loquitur nonnemo de simili quodam athleta) qui aurem ei vellicâsset, & à proposito suo devium in decentiæ tramitem revocasset. Alvisetum quippe (ut plura alia incivilia sanè epitheta taceam) nominare *scurram* ausus est; sicut & alterum Scriptorem, licèt in Universitate Salisburgensi famosum olim Canonici Juris Professorem, & Venerabilem jam senem *protuberanti hodierno è terra fungo* comparavit; necnon *blasphemo in Spiritum S. calamo, ac hæretico Spiritu ductum*, asseruit.

Inju-

Injuriam porro exaggeravit, quando *manuscriptis* & privatis parietibus non contentus, ut in hæreticos etiam cuncta dimanarent, luci ea publicæ commisit. Unicus certè Sarcasmus, quô cum Mauburno *brutis animantibus* &c. tot Principes, Abbatésque &c. assimilavit, tam sordidus erat, ut vel ab invito confutandus fuisset Stylo paululùm incitatiori, nî saniora religiosa Charitas suasisset. Omnibus proinde fundamentis sinè fuco & phaleris, solidè prorsus, ac sincerè propositis, Adversarij Argumenta absque omni explosione (quâ tamen ille Caramuelem persequitur toties) pro ingenij modulo dissolvam. Quæ ubi præstitero, non video, cûr ullo ex titulo malè audiam: sed spero, nullum non Lectorem tam benevolum fore, ut id mihi tribuat, & fateatur, quòd omnes innocui Scriptoris & legitimi simul Defensoris numeros impleverim.

DISSERTATIO II.

Præliminaris,

De Ratione Tituli, & Oeconomia totius Operis.

SUMMARIA.

1. *Hierarchiæ Ethymon, & Definitio.*
2. *Ordinis Hierarchici constitutiva.*
3. *Operis Oeconomia.*

N. I.

N. I.

Hierarchiæ Ethymon, & Definitio.

ILlotis (ut in Prœmio Juris Canonici ajunt communiter ejusdem Interpretes) manibus accederet, qui ipsam statim titulorum explanationem aggrederetur, non præmissâ ipsius tituli & vocis, reíque subintellectæ Origine ac Definitione. Ne proinde in hanc nos legem peccemus, ante omnia quærimus, unde vox, ac nomen Hierarchiæ derivetur? Juxta omnes ex græco fonte descendit, & à vocabulo ἱεραρχία, denotátque *sacrum Principatum*; Principatus autem *principantium* significat *imperium, ac parentium subjectionem.*

Ipsam Rei definitionem, explicationémque geminam tradit Divinus Dionysius (qui ejusdem quoque vocis esse Author censetur) cùm *lib. de Cœlest. & Eccles. Hier. c. 3.* ait: *Est Hierarchia, meo quidem judicio, sacer Ordo, Scientia & Actio, quæ ad Divinitatis similitudinem, quoad ejus fieri potest, & pro proportione illustrationum, quæ divinitus datæ sunt, ad DEI imitationem traduntur.* In hac igitur Definitione tria annoto, intento meo apprimè servientia, *Sacrum* videlicet *Ordinem*, *Scientiam & Actionem*: Quorum explicationem Ordo Doctorinæ suis in locis dabit.

N. II.

Ordinis Hierarchici constitutiva tria sunt.

EX his autem manifestè collige, illa ipsa tria, in quibus juxta proximè dicta Hierarchia constituitur, reperiri debere in quolibet Ordine, qui Hierarchicus est, ac Hierarchicus esse Jure dicitur. Unde ut luculenter demonstretur, Divi Benedicti Ordinem & Religionem *Hierarchicam* esse, atque sic grandem eidem injuriam ab Adversario irrogatam fuisse, ostendamus oportet, *Sacrum Ordinem*, seu *Clericatum*, *Scientiam* & *Actionem* in nostrâ vigere Familia, nec minùs inter Nostros, quàm alterius Stemmatis sacri Alumnos, perpetuò floruisse, & etiamnum florescere. Hôc tamen, quem Operi præfixi, titulô, nolim existimes, amice Lector! horrere nos, aut erubescere ipsum adeò nomen Monachi, vel Sacrum Monachismum, quem sanctè colimus, ac lubentes profitemur; at per eum à Clericatu & Hierarchiâ Ecclesiastica Benedictinos *per se* excludi, hoc enimverò diffitemur omnino, & inficiamur.

N. III.

Oeconomia totius Operis.

VNiversi igitur Operis Oeconomiam in sex omnino partes dispertiemur: Prima de *Sacro* aget *Principatu*; altera de Or-

de Ordine seu *Clericatu* Nostrorum; Tertia de *Scientia*; Quarta de *Actione*: Quinta de *Antiquitate*, quam præcipuè contra Adversarium tuebor; Sextam denique adijcimus partem, de ijs agentem, quæ ex tribus prioribus consectanea sunt: In omnibus autem non alius (ut suprà jam contestabar) Scopus mihi erit, quàm ut Dei ter optimi, & S. P. N. Benedicti gloriæ, ac almæ pariter Veritati pro viribus inserviam.

DISSERTATIO III.
Præliminaris.
De Reverendo P. D. Ioanne Mabillonio &c.

SUMMARIA.

1. *R. P. D. Mabillonij Elogium.*
2. *Ejusdem adversus Canonicos Regulares Victoria.*
3. *Quantum Eidem Author hujus Scriptionis debeat.*

N. I.

R. P. D. Ioannis Mabillonij Elogium.

INter Principes ætatis nostræ Historiographos, velut inter primæ magnitudinis stellas, non meô, utpote quod ob suspectum partium studium nolim in Exemplum trahere, sed omnium Eruditorum illustri suffragiô emicat

cat R. P. D. Joannes Mabillonius, natione Gallus, Congregationis S. Mauri, ex Ordine S. Benedicti Presbyter, & de Romanâ Ecclesiâ, & de suamet cumprimis Religione eximiè meritus.

Quemadmodùm autem Dei Sapientia, ut pulcherrima in Universo varietas reluceat, varios in vario genere scientiarum Doctores vult excellere, & eminere, ita Mabillonius noster cum in re Historica, tum in Materie cumprimis Diplomaticâ, quam Opere prorsus singulari illustravit, visus est plerisque palmam tulisse. In finem tam glorioſum necessarius Antiquitatis sacræ, profanæque Amor impulit Virum, ut omnem ferè Europam peragrando, præcipuas Bibliothecas, ad eruenda è ruderibus suis monumenta, ingenti labore, nec minori solertiâ, dexteritatéque lustraret.

Neque tam insigne Eidem elogium Ego, utpote domesticus, tribuerem, nisi Regiô Vir tantus calculô & Authoritate magnus pridem proclamatus fuisset: Ludovicus quippe XIV. Galliarum Rex Potentissimus, & delicatus pariter meritorum in omni genere Censor, in frequenti corona Procerum digitô subinde demonstrans Mabillonium: *En!* (inquiebat) *Religioſum in Regno nostro humillimum & Doctissimum!* Paucula, me hercle! sed aurea sanè verba, quæ non à Laureato tantùm Capite ingens, sed à militari pariter animo, ac Indole Martiâ ad Palladem & literas plerumque minùs respicien-

ſpiciente, incomparabile omnino pretium accipiunt.

Regis hujus tam glorioſi interpretem egiſſe mihi videtur Clariſsimus Societatis Jeſu Faſtorum Eccleſiæ Scriptor P. Daniel Papebrochius, qui varijs in locis, & nunquam non, ubi ubi ſeſe ingerit Occaſio, Mabillonij memoriam & nomen encomijs celebrat ſplendidis admodùm & ſolidis: nuncupat eum namque *Virum eruditiſsimum, Doctiſsimum; in Antiquitatibus verſatiſsimum & experientiſsimum, præſertim in diſcernendis Regum, & Imperatorum Diplomatis veris à falſis; à quo ſe in multis correctum, & meliùs inſtructum gratus agnoſcit & profitetur.*

Huic pari candore adſtipulatur ex eadem inclyta Societate inſignis non minùs, quàm in ſuperioris Germaniæ Provincia & Friburgenſi præſertim, Oenipontana ac Dilingana Univerſitate celebris Theologus P. Maximilianus Raſsler, qui in *defenſione Diplomatis* illius *Lindavienſis n. 7. Summâ* eum *Virum eruditione & induſtriâ* compellat; *cui in elaborando illo Opere multum debeat.* Nec prætereundum duco D. Joannem Pregitzer, qui *Viri celeberrimi* elogium impertitur Mabillonio, & aſſeverat, eundem in Regio Monaſterio Salemitano mille florenos obtuliſſe pro Codice quodam Concilij Conſtantienſis nuperrimè per flammas abſumptô cum ipſo (prô dolor!) tam illuſtri Cœnobio; quod tamen ſub moderni Reverendiſsimi Abbatis STEPHANI glorioſâ & omni circum vi-

ciniæ

ciniæ ſuavi gubernatione velut alter è ſuis cineribus Phœnix, eô, quem in Germania vix deprehendas, ſplendore renaſcitur.

Hæc (ut alia taceam) de Mabillonio: unde Authoritas Ejusdem à me paſsim uſurpata nulli non, ut ſpero, Sacro-ſancta erit, in noſtræ præſertim quæſtionis articulo, quia tam notabilî illuſtris Victoriâ, quam mox ordiar dicere.

N. 11.

R. P. D. Mabillonij adverſus Canonicos Regulares Victoria.

Eâdem fere tempeſtate, quâ Canonicos Regulares inter & Benedictinos de Præcedentiæ titulô lis in Germania fervebat, in Burgundia quoque ſimile certamen inter easdem Partes efferbuit. Jus & Poſſeſsionem ab immemoriali tempore habebant Noſtri inter Provinciæ illius Status; in quos Canonici Regulares & ipſi (ſed *Noſtrorum ope*) ante viginti quinque circiter annos admiſsi, vix Subſellia occupârunt, cùm Erinacei, in vulpeculæ ſpecum recepti, fabulam renovantes, in Promotores ſuos (Patres ſcilicet Benedictinos) inſurgere, Præcedentiæ jus ambire, & præter publicas Proteſtationes nihil non agere, quod inſervire ad deturbandos Noſtros videretur. Scriptô certè publicô in arenam, & ad arma provo-

provocârunt. Nec detrectavit certamen Mabillonius, sed clavum opposuit clavo, & lucubrationi lucubrationem: quam ubi denuo impugnârunt Adversarij, decretoriô insurrexit conatu Mabillonius, & priorem partum, ac Religionis simul nostræ jura tam luculenter, feliciterque defendit, ut solemni ipsius Christianissimi Regis sententiâ, non absque liberali victæ partis rubore, palma Nostris & Mabillonio tribueretur.

N. III.

Quantum Eidem Author Scriptionis hujus debeat.

HUic itaque famoso & Laureato Authori debere me quamplurimum, ingenuè profiteor; quando ex laudatissimo geminæ responsionis ipsius Opere communia deprompsi tela, quibus contra Adversarium, communibus etiam armis usum, nostra tuerer; quatenus tamen exigebat nova ejusdem methodus, pro ingenij proprij modulo adjeci nonnulla: & præcipua mihi, ac unica fere cura fuit in eo, ut inculpatæ tutelæ moderamen, & limites nullatenus transgrederer.

PARS I.

De *Sacro Principatu* *Ordinis Hierarchico-Benedictini.*

DISSERTATIO I.

An Sacer Principatus *vigeat in Ordine Benedictino?*

SUMMARIA.

1. *Differentia inter* Principatum Sacrum, *& profanum.*
2. Sacer Principatus *datur in Ordine Benedictino.*
3. *Nonnulla prærogativæ, quibus* Sacer *Ordinis noſtri* Principatus *ſpecialiter exornatur.*

N. I.

Differentia inter Principatum *Sacrum & profanum.*

PRinceps idem dicit, atque ſupremus ac potens Dominus, ſicut & *Principatus* ſupremum ac potens Dominium; hinc enaſcuntur hæc & ſimilia vocabula, *Princeps Cœtûs Monaſtici*, & indicat Archimandritam ſive Abbatem; *Princeps Belli*, Archiſtrategum; *Princeps adificiorum*, Architectum.

Quemadmodum autem Princeps alius eſt *ſacer*, *profanus* alter, ita & Principatus: qui con-

conveniunt in hoc quidem, quòd uterque dicat *principantium Imperium, & parentium subjectionem*; in plurimis verò capitibus differunt: *Profanus* enim seu *civilis* Principatus imperium exercet ac dominationem; circa subditos versatur potissimùm, & vim infert: *Sacer* è diverso seu *Ecclesiasticus* occupatur circa DEUM primò; nec *dominatur in Cleris*, juxta præceptum Petri Apostolorum Principis; sed Christi potius Regum Regis mansuetudinem ac Clementiam imitatur; Nec *Corporum* (quemadmodùm politicus Principatus) sed nobiliorem, *Animarum* videlicet, curam administrat. In quam rem præclarè loquitur S. Chrysostomus *lib. 3. de Sacerdot. c. 5. Habent quidem Principes terrestres vinculi potestatem, verùm corporum solùm: Id autem, quod dico Sacerdotum vinculum ipsam etiam animam contingit, atque ad Cœlos usque pervadit, adeo ut quæcunque infernè Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, ac Servorum sententiam confirmet.*

N. II.

Sacer Ptincipatus *datur in Ordine Benedictino.*

TAlem enimverò Principatum apud Nostros reperiri, tam liquidi juris est, ut inficias ire nemo possit: Abbas enim vi Jurisdictionis suæ spiritualis quoad subditos intra sepia Monasterij potest id, quod vel in Diæ-

cesi suâ Episcopus, vel in Universali Ecclesiâ ipse Papa, si excipias illa, quæ speciali jure reservantur: quemadmodùm concors Doctorum sententia proclamat.

Quemadmodum igitur Papa suum in Universalem Ecclesiam exercet *Imperium*, ac Episcopi in suas privatas Ecclesias, ita quivis non minùs Abbas in suum, quod cum jurisdictione gubernat, Monasterium exercet *Imperium*, & suum vicissim subditi exhibent lubentes *subjectionem*: ergo sacrô, qui ad Ordinem Hierarchicum requiritur, *Principatu* non caret Religio Benedictina.

Et ob hunc, quô gaudent *sacrum Principatum*, teste Barbosa (ut eam eruditissimus citat Rambeckius) in tract. Juris Univers. Eccles. *parte 1. cap. 17.* cum quàmplurimis ibid. citatis, & ex communi sententiâ, *Abbates omnes Episcopo minores præcedunt.* Et, eodem referente, in Concilijs generalibus immediatè post Episcopos Abbatibus locus sessionis datur, deinde primùm Prælatis alijs; & ad hoc Romanæ Rotæ decisio ab eodem allegatur. Id ipsum tenet fusè cum plurimis Tamburinus de Jure Abbatum, *tom. 1. disp. 1. q. 2. n. 6. & disp. 24. q. 3.* & seq. Item *disp. 25. q. 5. & 4.* atque ita observatum esse in Concilio Tridentino Fagnanus testatur. Tertius receptissimæ hujus sententiæ testis est Aloysius Riccius, in praxi aurea Decisionum quotidianarum, qui in Indice V. Abbas, hæc formalia ponit: *Abbatis dignitas est major post Episcopum, in Synodo sedet post Episcopum*: & passim

passim in materia præcedentiæ, maximè tom. 4. resolut. 393. & resol. 394. idem docet; ubi repetit idem: *Abbatum dignitas est prima post Episcopum, primúmque locum post eum obtinet.*

Quo Abbatum sacro *Principatu* & dignitate penitiùs penetratâ, nonnemo mirari satis non potest, quosdam Abbatum suæ dignitatis adeo esse immemores, ac pene prodigos, hac præsertim delicatissima ætate, ut obvio vix non cuivis cedant, nec possessionem à tempore immemoriali tueantur, & vicissim alios tam esse arrogantes, ut debitam ijs disputare præcedentiam, ac in jure quidem fundatam temerarij præsumant.

Verùm si proximus eum isto numerus combinetur, dilucidè patescit, splendidum quidem, sed delicatum pariter Abbatis munus esse. Matris præcisè non gerat Abbas viscera; nam æquò molliora sunt: at severiorem ubi Censorem induit, caveat solicitus, ne Patrem exuat: sic timere assuescat subditus, ut discat èt amare; nec timor palmam, sed amor ferat, & comes Amoris fiducia: ubi enim hæc exulat, multiplex Virtuti periculum incumbit, & salutaris ad generosam submissionem extinguitur stimulus, quem nullius in Superiorem fiduciæ illicium acuit.

Sed redeamus in orbitam, & singularibus, quibus nostri olim Abbates præfulserunt, Privilegijs ac honoribus, *Principatûs Sacri* rationem mirificè illustrantibus, præfixum nobis titulum tantisper exornemus: Alvisetus perplura recenset, quæ hîc subnectere placuit.

N. III.

Nonnullæ Prærogativæ, quibus Sacer *Ordinis nostri* Principatus *specialiter exornatur.*

LEgo (inquit) apud Yepez, antequam Cardinales eveherentur ad eam gloriam, in qua nunc cum admiratione universus eos Orbis conspicit, fuisse Romæ 22. Abbates, omnes S. Benedicti, qui Romano Pontifici Sacra facienti semper assistebant, ùt nunc faciunt dicti Cardinales. Hinc ego lego (pergit ibidem) apud Yepez, VVion, & Belforet, Calixtum II. creasse Cardinales Abbates Sanctæ Trinitatis de VVindocino, titulúmque Sanctæ Priscæ jure perpetuo eis attribuisse. Ac item Abbates Cluniacenses, & Cistertienses cùm ad Curiam venire contingeret, inter Cardinales fuisse adscitos; & in Consistorio hincindè ad pedes Sanctissimi locum tenuisse, ut refert. Cassand. *in catal. Glor. Mundi p. 4. cons. 31.*

Addo (paulò inferiùs subjungit) & non paucos Abbates, qui olim sacrabantur in Episcopos, sícque sacro fœdere humilitatem monasticam in sua Persona cum Episcopali gloria sociabant: adeò, ut idem esset Abbas & Episcopus: & eorum Monachi simul essent *Canonici*; ut nunc de præsenti videre est Maleacense in Gallia, & olim fuêre in Anglia Roffense, Cantuariense, Vintonienſe, Cicestr. Convent, Barton, Lyche-

Lychefed. & Elienſe, uſq; ad ultimam extinctionem Eccleſiæ, ut refert Reyner, *in Apoſt. Tract. 1. §. 3. Sect. 1.* Qualis item fuit Eccleſia Cathedralis Vormatiæ teſte Demochar, *lib. de Sacrif. Miſſ.* Cathedralis de Aſtargia in Hiſpania, teſte Yepez *cent. 2.* Addo ego Salisburgenſem ad S. Petrum, &c.

Sed ſingulare, & non prætereundum in hoc ſermone de præcellentia Abbatum, eo uſque olim nonnullos fuiſſe evectos gloriæ, ut rarò, & inuſitatò admodùm exemplo, Epiſcopi eis ſubycerentur, ut Caſinenſi, quem ſub ſua Jurisdictione tenuiſſe 4. Epiſcopos, refert Petrus Diaconus *in ſuâ hiſtor.* & Huenſi Abbati, cui teſte Venerab. Beda *lib. 3. Hiſt. ang. c. 4.* omnes Epiſcopi Scotiæ, & Hiberniæ ſubyciebantur.

His addere poſſem non pauca alia, ùt quòd olim Abbates S. Martini Dumienſis authoritate Conciliorum erant Præfecti familiæ Regum Suevorum, quando tenebant Galæciam, ut ei circa Divina advigilarent, ut refert Ambroſ. Moral. *in ſua Hiſtoria.*

Quod Reges Galliæ, cùm ad Bellum procederent, accipiebant Auriflamen de manu Abbatum S. Dionyſij &c. Hactenus Alviſetus.

Et hæc ſinè dubio tanta ſunt, ut *ſacri* Jura *Principatûs* Benedictini poſsidere, cuilibet æquo partium Cenſori videri meritò poſsint.

DISSERTATIO II.

An Principatus etiam profanus in Benedictino vigeat Ordine?

SUMMARIA.

1. Sacri Romani Imperij Principatus inter summas censetur dignitates.
2. Hac dignitate non carent Benedictini.
3. Principalium Ordinis nostri Monasteriorum compendiaria notitia.
4. Prærogativæ illustrium aliarum Ordinis nostri Abbatiarum.
5. Judicium Tamburini de nostrorum Abbatum Prærogativis.

N. I.

Sacri Romani Imperij Principatus inter summas censetur Dignitates.

REceptissimâ omnium opinione summa in eo fere Dignitas hâc ætate constituitur, quòd in Romani Imperij Sacro Corpore *Principis* titulum quis, & illustrissimi membri locum teneat: Sic enim cum Augusto Capite (Cæsare) per nobilioris vinculi prærogativam connectitur, & *Regali*, juxta Publicistas, *Dignitate immediatè sub Imperatoris & Imperij Jurisdictione fulget, fastigiúmque sortitur Celsitudinis.*

Ex

Ex prioris igitur occasione tituli hunc meritò subjungendum duximus, & pauculis inspiciendum, an in hoc etiam genere Benedictini resplendeant?

N. II.

Hâc Dignitate non carent Benedictini.

HAbent scilicet in hoc quid nostri Abbates eximium, ac ejusmodi decus, quale in alia Religione nullatenus deprehendas: Quodque gemmæ in annulis, id sunt ejusmodi Principes in Ordinibus Sacris.

Et verò, si tempora superiora & moderna, eáque Monasteria revocem ad syllabum, quæ Nostri tenuerunt olim, tenéntque etiamnum, illustris omnino, & spectabilis prodibit numerus Principum, celsissimâ cum Imperio unione, & tam eminenti fastigiô refulgentium.

In Buchovia FULDENSIS: In Suevia CAMPIDONENSIS, ELVACENSIS, REICHENAUGIENSIS; VVEISSENBURGENSIS in Spirensi Diœcesi; HIRZFELDENSIS, in Hassia; In Helvetia SAN-GALLENSIS, EINSIDLENSIS, FABARIENSIS, DISERTINENSIS, OMNIUM SANCTORUM Schaffhusij: In Saxonia CORBEIENSIS: In Alsatia MURBACENSIS: In Burgundia LUDRENSIS: In Archi-Episcopatu Trevirensi PRUMIENSIS: In Diœcesi Leodiensi

STABULENSIS: In Colonienſi SIGBURGENSIS: quibus noviſsimè, & hoc ipsô, quô iſta ſcribo, anno accedit MURENSIS in Helvetia &c.

Quorum Monaſteriorum, ſeu Eccleſiarum compendiariam hiſce notitiam ut apponerem, tua, humaniſsime Lector! & cujusvis Eruditi pia in ejusmodi genere Curioſitas impulit.

N. III.

Principalium *Ordinis noſtri* *Monaſteriorum compendiaria notitia.*

INter Principes Benedictinos multiplici ex capite præ reliquis eminet Abbas FULDENSIS: totius quippe Buchoviæ ambitum continet ſub ditione, vicinis ideò formidabilis; & ſicut virium potentia, ita inter *Germaniæ, Galliæq; Abbates Primatu* gaudet, ac (quod ſplendiſsimi honoris Caput eſt) Auguſtiſsimæ Imperatricis audit Archi-Cancellarius: Cujus in eo præter cætera verſatur illuſtre munus, ut, quoties ſolemnis Ejus Coronatio inſtituitur, cum reliquis Imperij Proceribus non adeſſe modò coram, ſed Auguſtiſsimæ ſereniſsimo Capiti imponere Coronam debeat, ac ſubindè depoſitam Celſiſsimâ ipſe manu ſuſtinere. Et hac tam ſublimi Provinciâ ſuâ (quam nonnullus præripere Æmulus, ſed fruſtrà tentârat) Celſiſsimus Abbas Placidus pientiſsimæ memo-

riæ

riæ functus erat nuperrimè, quando MAGNI LEOPOLDI magna pariter & glorioſa Conjux Auguſtiſsima Magdalena Thereſia Auguſtæ Vindel. 1690. imperiali Corona publico ritu inſignita fuit.

Bucelinus noſter *Germ. Sacræ p. 1.* hoc Archiſterium nuncupat *Archi-Gymnaſium Sanctorum, & Pontificum Promptuarium, Religionis verticem per Teutoniam.* De eo inſuper ſic Michaël Antonius Bandrand in Lexico Geographico: *in ea* (Urbe Fuldenſi) *ineſt Abbatia totius Europæ, nedum Germaniæ celeberrima.* Cujus Celſiſsimus Abbas in ſacro Quatuor-virûm Imperij Abbatum Albo ſupremum obtinet locum.

CAMPODUNI Abbas Quatuor-Vir & ipſe, Ejusdem Auguſtiſsimæ perpetuum agit Archi-Mariſchallum: & ſingulari Privilegio ac Jure gladij non ſimplici dotatus, Sanguinis intereſſe judicicio ſinè ullius irregularitatis periculo in propria ipſe celſiſsima Perſona poteſt; ad quod alludit pervetuſtus ille Rythmus, quem cum Herpibolenſi Epiſcopo communem habet:

Campidona ſola judicat Enſe ſtola.

Abbatis porrò Campidonenſis ſplendorem & potentiam exinde colligas, quòd, teſte Bucelino, factum, *ut maximi Principes ejusdem feudatarij fierent; Archi-dapiferi, Pincernæ, Mareſchalli, Camerarij munus prompti obirent, etverò etiam exambirent.*

Quin ipſe Hadrianus Papa hujus nominis Primus in augendo Campidonenſis Abbatiæ titulo

tulo extitit tam liberalis, ut eandem ab omni Episcopali Jurisdictione exemptam, *alteram* insuper, atque *secundam Romam* appellaret.

Felix & glorioſum ætate hâc noſtrâ Campidonum eximiè floret in Celſiſsimo, quem à triginta jam annis Abbatem habet, RUPERTO ex Perilluſtri & antiquiſsimâ BODMANNORUM Proſapiâ oriũdo; Principis hujus copioſæ admodùm Dotes, & varia, ſublimiaque ſunt decora: generoſi tamen animi vigorem, & ſociatum pulcherrimo foedere cum togâ ſagum inprimis orbi Germano teſtatum fecit, quando exactrice Gallorum manu omnem latè Sueviam nuper rapinis, incendijs &c. divexante, & ipſi jam Algoiæ armorum terrorem inferente, ſolus fuit, qui tumultuariô impetu Suorum centurias aliquot ſub ſigna cogeret, & armis arma fortiter opponendo, non à Patriæ tantùm, ſed & Tyrolis, aliarúmq; Provinciarũ jugulo prædabundum hoſtem depelleret, docerétque, non otioſum Jus gladij eſſe Principi Campidonenſi, ſed eum heroicæ Celſitudinis animum, quem incomparabilis Domûs Lutharingiæ Gloria Carolus V. Cæſareorum tunc Exercituum Archi-ſtrategus inſigni honorare elogiô, & gratulatione clementiſsimus voluit.

SAN-GALLENSE vetuſtiſsimum Helvetiæ Monaſterium, ac Dynaſtiarum ſpatio, viribusque præpollens, finitimis non ob potentiam tantùm formidabile, ſed cumprimis ob florentis ibi Sanctimoniæ, & ſeverioris pariter Diſciplinæ conſtantem hactenus famam venerabile

tabile semper extitit. Audi, quàm illustri Bucelinus præconio id extollat; Tantam, inquit, tot Sæculis Sanctorum, & Sanctitatis opinione celebrium copiam aluit, ut centum subinde, & ducenti, quin & trecenti aliquando eô nomine celebres simul, semélque in eodem conviverent, nec dubitaret Religiosus Non-nemo, & vetustissimæ fidei Scriptor ante octingentos jam fere annos in hæc ipsa prorumpere:

Continet hoc Sanctum Sanctorum millia Templum.

Sua in Monasteriô hôc incunabula accepit Erfordiensis Universitas, quâ exinde translatâ, non omnis continuò Musa hinc migravit; mansuetiores enim disciplinas cum severioribus ingenii usque huc, & uberi semper studio coluerunt San-Gallenses: qui hodie, ut tam præclaros literarum fructus in exteros quoque oportuniùs derivent, peramplum moliuntur Athenæum, ubi cum Philosophia, Jus, & Theologiam &c. publicè deinceps profitebuntur.

Inter Abbatis San-Gallensis prærogativas nolim prætermittere equestris titulum Dignitatis, quâ sub nomine Beatissimæ Virginis Annuntiatæ à Subaudiæ Ducibus conferri solitâ Celsissimus Abbas Gallus hoc nomine II. olim exornatus, perpetuô in Posteros jure hoc Insigne transfudit. Addamus denique Infulas tam Constantiensis Episcopatûs, quàm variarum Abbatiarum, quibus San-Gallense Monaste-

naſterium toties ſubminiſtravit dignos tam ſublimi honore Candidatos: quales perpetuâ enutriri foecunditate, teſtatur Eminentiſsimus Cardinalis Sfondratus, qui ephœbus in San-Gallenſium gremiô educatus, veluti cum lacte imbibit pietatis & eruditionis admirandæ fontes illos, quibus per tot volumina, velut aureos canales effuſis, univerſam Chriſti Eccleſiam nuperrimè irrigavit. In compendium cõegit citatus Bucelinus cuncta hujus illuſtriſsimi Monaſterij elogia, quando dixit: quod Italiæ Caſinum, Gallijs Cluniacum, hoc Germaniæ eſſe S. Galli Aſceterium.

EINSIDLENSE non Benedictinæ modò Religionis eximium, ſed totius Helvetiæ præcipuum ſanè decus, & innumerabilium animarum ex Chriſtiano Orbe illuc confluentium illuſtre Aſylum; ſat dives laudis eſt, quia Sedes eſt Gratiæ, & Auguſtiſsimæ Domus Virginis, quam & quotidianis locupletat favoribus, prodigijsque Miſericordiæ Mater, & tantæ Matris Filius ac ſummus Sacerdos ſecundùm Ordinem Melchiſedech ſolenni conſecrare ritu ipſe dignatus fuit. Hinc meritò quod Italiæ eſt Loretum, Hiſpaniæ mons Serratus, hoc Teutoniæ revera eſt Einſidlenſe Monaſterium. Inter illa porrò Marianæ Clementiæ beneficia veneror cumprimis illud, quod inter Noſtrates ibi ſemper floruêre Viri cum virtute, tum eruditione eximij: inter quos tamen ceu inter pretioſos lapillos Adamas præfulget Celſiſsimus Princeps Auguſtinus ex illuſtri Redingiorum ſanguine

pro-

propagatus, & ſplendidiſsimis contra Hetherodoxos Victorijs, necnon profundiſsimis ingenij ſui vixnon *Auguſtiniani* lucubrationibus per Orbem celebratiſsimus. His pro auctario ornamentis jure adijcias Bellizonenſe Gymnaſium, cui pro DEI, & Ordinis gloriâ conſervando inſignes non modò viros, ſed copioſos inſuper ſumptus ſtrenuè impendunt Einſidlenſes.

FABARIENSE tertium Helvetiæ, ob termarum fontes quotidianis ferè prodigijs claros, in omni paſsim Europa famoſum eſt Cœnobium: quod homines nobiliori ſtemmate, & pari deinde virtute conſpicui incoluêre. Præ reliquis memorandus nobis eſt Illuſtriſsimus Abbas Rudolphus ex antiquiſsima & nobiliſsima Stirpe Comitum de Montfort, in quorum glorioſis Majoribus multiplex virtus, & ſingularis præſertim Clementia ſuaviter enituit, nec in Poſteris à primævo candore degenerans. Hunc Henricus Imperator hoc nomine VI. in Comitijs VVormatienſibus inter Sacri Romani Imperij Principes ſolenniter cooptavit. Varias per ſuperiora tempora calamitates, damnáque graviſsima perpeſſum Monaſterium hoc, pulcherimè, magnísque iterum incrementis refloreſcit ſub feliciſsimâ & ſolertiſsimâ Gubernatione moderni Celſiſsimi Principis Bonifacij, ex Einſidlenſium Monaſterio in Abbatem poſtulati.

DISERTINENSE, vulgò Diſentis, non vetuſtate tantùm, ſed laureatô etiam, quos

è gre-

è gremio primâ statim ætate dedit, Martyrum sanguine celebre est: Inter plurima, quibus ejus Monasterij Abbas ac Princeps ab Imperatoribus honoratus fuit, Privilegia, occurrit illud, quòd eudendæ monetæ Jus habeat. De hoc Monasterio ita Bucelinus in *Bened. Rediv.* Disertinense ut frequentiâ auctum, sic èt virtutum splendore, ut non Deserti tam nomen proferat, quàm horti, Paradysi fontibus irrigui audire mereatur: *gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron &c.*

AUGIAM-DIVITEM erudito pro more calamo Bucelinus sic illustravit, ut luci addere velle lucem viderer, si de meo quidquam superflui adjungerem. Sic igitur ille: Augia Dives potentissimum longè, illustrissimumque Monasterium, situ ad miraculum eleganti, in Insula Rheni & Lacûs, veluti omnibus Naturæ gratijs dotatum.

Fuit Promptuarium multo tempore lectissimorum Germaniæ Pontificum; Erátque id Asceterium illâ tempestate inclyta non modò Sanctimoniæ, sed & liberalium Disciplinarum Sedes, adeò ut Phoëbus cum omni Musarum Gynecæo in eam Insulam, relictô Parnassô, migrâsse videretur. Insulam hanc tum jure *fortunatam* dixeris. Hinc multis Sæculis dicta erat *Schola Virtutis & eruditionis* celeberrima, necnon Asylum publicum, Civitas Refugij, & Portus salutis maximorum Principum, & Imperij Procerum; ad hoc Monasterium multis Sæculis tantus concursus fuit, ut nemini, nisi

ni, nisi primæ nobilitatis notâ insignibus, illustrissimisque pateret. Præstat etiamnum insignibus Sanctorum, Marci præsertim Evangelistæ, sacris exuvijs, & Smaragdo, ut vocant, Orientali, cui in Europa similem & magnitudine & nitore vix reperias.

MURBACUM opulentissimum Alsatiæ Cœnobium, vulgari olim cognomine dictum est peregrinorum Vivarium, ob alimentorum utique copiam, vel ob comitem & domesticam Benedictinis hospitalitatem. Opulentiam Ejusdem facilè conijcies ex eo, quòd in Abbatis, & amplissimæ familiæ obsequium sæpiùs mille ducenti & sexaginta equi alerentur, cui numero grandis pariter nobilium Vasallorum Syllabus respondebat; quare meritò Murbacensis inter Sacri Romani Imperij Quatuor-Viros Abbates adlectus fuit. In hujus Monasterij Abbatem canonicè nuper electus, & ex Illustrissimo Monasterio San-Gallensi postulatus est Reverendissimus DD. Columbanus; qui electionis suæ Jura pro viribus tuetur, etsi temporum injuriæ ab actuali possessione eundem impediant.

LUDRENSE famosissimum olim in Burgundiæ partibus Monasterium, eundem hodie Principem habet & Abbatem cum Murbaco; fundatum est à S. Deicola, sumptibus illustris fœminæ Berthildæ, & à Clothario Rege plurimum auctum ac sublimatum.

CORBEIUM in Saxoniæ Electoratu Cœnobium est multò Illustrissimum, quia fertile

Promptuarium illud, quod maximos Romanæ Ecclesiæ Præsules, & Apostolos suggessit : ex hoc enim prodiêre Sancti Anscharius, seu Anssellarius, Rembertus, Tiagrinus, Hogerus &c. quibus non finitimæ tantùm, verùm & dissitæ Gentes infusam Evangelij lucem in acceptis referunt. De Corbeiensium porrò Sanctorum, & ab ijsdem piè Gestorum copia si dissererere vel pauculis vellem, voluminis integri texendum opus esset.

STABULENSE potentissimum est in Leodiensi Episcopatu Monasterium : quod Sigibertus Rex cùm prole careret, Deum opum suarum scribens heredem, regiâ planè munificentiâ fundavit : cõoperantibus, & rem strenuè promoventibus S. Remaclo Trajectensi Episcopo, & Grimualdo Duce Brabantiæ, quorum ille cum Pontificijs Insignibus pompam omnem honoris ultrò exutus, in hoc postea Cœnobio Monachum induit.

SIBURGENSE, seu, Sigebergense (ait Bucelinus) illustrissimum, potentissimúmque propè Coloniam Benedictini Ordinis est Cœnobium, pulcherrimo, editissimóque situ, loco munitissimo conditum à S. Annone Archi-Episcopo Colonienssi &c. Ibidem ingens sanctitate, eruditione, & generis sublimitate virorum illustrium numerus exsplenduit, ut non tam ab Amne præterfluente Legebergense dicas, quàm Sigeberg & Sigberg, à palma Victoriæ, quâ de seipsis multi, maximíque Heroes hîc triumpharunt.

PRU-

PRUMIENSE in Diœceſi Trevirenſi Cœnobium longè Magnificentiſsimum à Pipino Francorum Rege Berthæ Auguſtæ rogatu, conditum fuit. Baſilicam ſecto lapide, inſigni mole, & arte mirabili idem Fundator per 30. annos molitus eſt; quam Filius deinde Carolus, ob res egregiè geſtas cognomento Magnus, feliciter abſolvit, & conſecravit Leo Pontifex hoc nomine III. præſentibus (ut Bucelinus teſtatur) Cardinalibus, Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, numero mille tribus ſexcentis. In quo etiam Lotharius Imperator, ſtupente Orbe, poſitô Imperij Diademate, inter Noſtros adſcriptus, glorioſo tandem, & ſancto fine quievit.

MURENSE illuſtre prorſus ac præpotens Helvetiæ Monaſterium, fundatum, ut ait Gerardus de Roo, à Rapatone Comite Habſpurgenſi; vel, ut Bucelinus vult, à VVernhero Strasburgenſi Epiſcopo, Comite ejusdem Habſpurgenſis Familiæ; quod dein poſſeſsionibus alij quoque hujus Gentis Comites plurimum auxêre, ac promovêre. Nuper emptâ Dynaſtiâ Klingbergenſi, non opibus tantùm, ſed & animabus quàm plurimis à perdita hæreſis lue ad fidem catholicam revocatis eſt auctum, & paucis inde annis amæniſsimâ ad Rhenum Arce Sandeck. Videmus hodie, & admiramur in hoc nobiliſsimo Aſceterio redivivum quaſi ex cineribus Phœnicem, quando, deſtructis veteribus, novi conſurgunt ædificiorum *Muri*, ſive molem, ſive artem ſpectes, *baſilicè* facti. Ad ſplendorem porro & Majeſtatem, quod ultra deſideretur,

ne quidquam deesset, Augustissimus Romanorum Imperator LEOPOLDUS I. ultimum hôc ipsô annô colophonem addidit, & compertam aliàs in hunc locum Austriaco-Habspurgensium munificentiam propriô veluti sigillô obsignavit, quando modernum Reverendissimum DD. Abbatem PLACIDUM ex perillustri Familia zur Lauben oriundum, ob parem cum Eruditione (typo etiam publico notâ) Virtutem inter S. R. I. Principes, rarô ætate hâc exemplô, clementissimus adlegit; & eô ipsô equidem tempore, quô ex eadem præclara Propagine alius Non-nemo à potentissimo Galliarum Rege Ludovico XIV. Supremorum suorum in campis Mareschallorum, ac illustrissimorum Comitum est Albo insertus; postquam (ut trinum non sit imperfectum) ejusdem Celsissimi Principis Fratrem Germanum *Geroldum* Infula Abbatiæ Rhenovienſis paulò antè exornavit. Tri-felix sanè Progenies! *togâ* nimirum clara, & *sagô*, *Astris* chara & *Castris*, *Marti* Sacra & *Iovi*, eâdem fere tempestate præambulis ad altiora meritis conscendens, sublimique simul coambulæ gloriæ, ac CELSITUDINIS vertice Sydera feriens.

De VVEISSENBURGENSI, HIRZFELDENSI, ELUACENSI, OMNIUM SANCTORUM in Schaffhausen (Quorum Abbates omnes Ordinis S. Benedicti, & Sacri Imperij Principes erant) silere præstat, quàm eloqui, quæ dictaret expressus veritate dolor. Eorum certè recordari sinè lacrymis vix possunt

Filij

Filij sincerè Benedictini: dolent namque tam nobilium membrorum avulsionem, & acerbiùs quidem ex hoc dolent capite, quòd eorum maximè adminiculô promota sit, quorum præsidiô depelli, & omnibus propugnari modis sancta cum reliquo Corpore Unio & debuisset, & potuisset.

N. IV.

Prærogativæ illustrium aliarum Ordinis nostri Abbatiarum.

HActenus diximus paucula de Monasterijs, quorum Abbates *Principum Imperij* Collegio accensentur; nunc aliqua subjungemus de illustribus & insignioribus aliarum Abbatiarum prærogativis, quæ nobis opportunè suggerit Alvisetus *fol. 89.*

Hunc proindè in meas vices substituo. In Magni Patris reverentiam orditur ille à Monte Casino, & Casinensis (inquit) Abbas à Carolo Magno & Ludovico pio creatus fuit *Vice-Imperator*, & *Super-Intendens* negotijs Imperij.

In Gallia moris fuit, ut, Rege absente, Abbates S. Dionysij Regnum administrarent; ut de Suggero, & Matthæo asseritur &c.

A Rogerio Duce (postea Neapolis, & Siciliæ Rege) concessum fuit Privilegium Abbatibus Cavæ, ut per omnem dicti Regis ditionem possent reos vitâ donare, si sibi obviarent, dum ad patibulum ducerentur, eô modô, quô olim

olim Romani Veſtalibus ſuis conceſſerunt, & de Cardinalibus aſſeritur.

Quibusdam Abbatibus Noſtri Ordinis fuit conceſſum *Sceptrum* loco baculi Paſtoralis, quo communiter alij utuntur; veluti Caſinenſis, quem Petrus Diaconus refert per-ſceptrum olim debuiſſe inveſtiri ab Imperatore; & Abbas S. Ambroſij Mediolani: de quo item refert Tamburinus, quod dum ad celebrandum Pontificaliter pergit, non baculum paſtoralem, ſed Sceptrum tenet in manibus. Hactenus Alviſetus: cui unicè adjungo, quòd Principi Campodunenſi, Sacrum ſolenniter acturo, denudatus pariter Enſis præferatur. Nec mireris tam illuſtres, & copioſas eſſe Benedictinæ Religionis prærogativas; digniſsima etenim evaſit tam ſublimium privilegiorum titulis & meritis, poſtquam Jidem perfectioris vitæ ſtudiô inflammati, rerúmque caducarum vanitatem, pompámque exoſi, ſe ſe totos, atque ex aſſe per aſſueta ſolennia vota, conſecrarunt, qui prius Imperiale geſſerant Pomum, regale tenuerant ſceptrum, & Ducali pileo ſplenduerant &c. Numerarunt aliqui (inquit P. Arſenius Sulger in *vita didac. S. P. Bened. n. 70.*) jam pridem ſub cucullâ Benedictina Principes, Marchiones, Duces multos; Comites ducentos, quadraginta & amplius; Regum & Imperatorum Liberos centum quadraginta ſex; Reginas quinquaginta unam; Imperatores quatuor; Imperatrices duodecim: Solus Caſinus eodem fere tempore duos Reges habuit, alterum Gallorum, Longobardorum alterum.

N. V.

N. V.

Iudicium Tamburini de nostrorum Abbatum Prærogativis.

FOrmat id *tom. 1. de Iur. Abbat. Disp. 25. q. 5.* cùm è re nostra ita eloquitur: Abbates non solùm Ecclesiasticis Dignitatibus, & Prælatis Episcopo inferioribus præferuntur, verùm etiam Laicis Dominis titulatis: ut sunt Duces, *Auth. habita C. ne Filius pro patre*: ubi Abbates præponuntur Ducibus, & Proceribus *Sacri Palatij*. Item Abbates, habentes Castra & Oppida, in quibus temporalem jurisdictionem exercent, dicuntur habere magnam Dignitatem, cùm comparentur Præsidibus Provinciarum, & sic sunt Clarissimi secundùm Baldum in *l. 1. §. his cunabulis circa medium ff. de Offic. Præfect. Prætor.* Cassan. *in 4. p. Catal. glor. Mundi, consider. 31. ad finem.* Imò existimarem, (pergit ibidem) Abbatem Fuldensem, Campidonensem, Hirsfeldensem, Murbacensem, Corbeiensem, Prumensem, Stabulensem &c. præcedere Archi-duces Austriæ, Duces Bavariæ, Duces Saxoniæ, Marchiones Misnæ, Marchiones Brandenburgenses, Duces Brunsvvicenses, & Luntbergenses, Duces Juliacenses, Duces Meghabolitanos, Duces VVirtenbergenses, Marchiones Badenses, Duces inferioris Saxoniæ, Duces Olsatiæ, Landogravios Lauenbergenses, Princi-

pes Analtinos, Duces Sabaudiæ, Duces Lotharingiæ, Comites Ambergios, Landgravios Haſsiæ.

Ratio hujus Præcedentiæ deſumitur ex præcipuâ Abbatum prædictorum Dignitate, Nobilitate, & Antiquitate; Argumentum autem, quòd hujusmodi Principes, Archi-Duces, Duces, Marchiones & Comites, & Landgravij, & omnes alij titulati his inferiores, præferant ſibi ipſis prædictos Abbates, deſumitur à M. Daniele Ottone Origenſe *in ſua diſceptatione de Iure publico Imperatoris Romani cap. 18.* Ubi enumerans claſſes Statûs Imperij, Abbates ſupra poſitos collocat in tertia claſſe, & ſupra dictos Principes Politicos, Archi-Duces, Duces, Comites, Marchiones, & Landgravios in quarta claſſe.

Secus autem dicendum puto de alijs Abbatibus reſpectivè ad iſtos Principes, non verò ad Comites, Vice-Comites, Barones, Vice-Barones, & alios Dominos temporales inferiores. Quod probatur ex eodem M. Daniele *loc. cit.* ubi poſt quintam claſſem Abbatum ponit Comites, & Barones, & Vice-Comites & alios titulatos in ſexta Claſſe.

Et confirmatur eâ ratione, *in primo quæſito Poſtea*, ſcilicet: qui in litteris ſunt primò nominati, præferendi ſunt alijs, ſed Abbates in litteris & Diplomatibus priùs nominantur Comitibus, Vice-Comitibus, & Baronibus & cæteris: ergo &c.

Et hucusque cum Tamburino ex occaſione materiæ

teriæ delapsi sumus; facilè nunc intelligentes, cur vehementer miretur non-nemo, hacdum ætate nostrâ tam cultâ, delicatâ, & in elargiendis titulis tam profusâ, ut titulus titulum, ceu unda undam trudat, esse adhuc aliquos, qui subtili avaritie pareant titulo *Celsissimi*, dum tractant cum ijs Religionis nostræ Abbatibus Principibus, qui in Collegio imperiali pari cum alijs Principibus dignitate, subsellio, & charactere gaudent, ac proinde ab ipso Augustissimo Cæsare, aliisque potentissimis Regibus eodem cum reliquis pariter Principibus honore condecorantur: quasi obtenebraretur tanti fastigij splendor per solennium votorum Professionem, & vilesceret *Celsitudo*, quæ colit publicè Christi sanctissimam, & Apostolicam Servitutem. Unde non minùs obstupescit idem ille, aliquos non sinè negligentiæ intervenientis specie contentos esse posse solô *Illustrißimi* titulô, cui tamen jam omnes passim Comites assuevêre.

Nec minori admiratione subinde videtur dignum: reperiri alios etiam, qui prærogativis reliquis Ordini nostro annexis, veluti usu *Rocheti*, *Mantelli*, *Pectoralis* &c. quâ de causa ignoro, non, ut possent ac deberent, utantur; quô fit, ut nulla pœnè in habitu etiam appareat differentia Religiosum simplicem inter & ipsummet talis Monasterij Abbatem.

Nunc transgrediamur, quò Doctrinæ, ac Tituli nos ratio & Methodus vocat, ad asserendum Nostrorum, & Benedictinæ Religionis *Sacrum Ordinem*, seu *Clericatum*.

PARS II.

De *Sacro Ordine*, *Seu*, *Clericatu*, *Primo ad Hierarchicum Ordinem Requisito.*

DISSERTATIO I.

An Sacer Ordo, *seu* Clericatus *conveniat Religioni Hierarchico-Benedictinæ* per se, *vel* per accidens?

SUMMARIA.

1. *Quid per* Sacrum Ordinem *intelligatur?*
2. *Differentia inter Monachismum* abstractivè, *& concretivè acceptum.*
3. Ortus *Benedictinæ Religionis in* Clericatu.
4. Clericatus *etiam in Regula Benedictina fundatur.*
5. Clericatum *Religioni Benedictinæ* per se *competere ex præmissis asseritur.*
6. Clericatus *non tantùm* per accidens *competit Benedictinis.*
7. *Multò minùs* dispensativè *tantùm*, *&* ex privilegio.
8. *Nec denique* ex Jure *duntaxat* novo.
9. *Diluitur primum Adversarij Argumentum.*
10. *Secundum dissolvitur.*
11. *Examinatur Monachi Definitio, & annexa corollaria ab Adversario.*

12. *Respondetur ad Authoritatem S. Thomæ, & Gratiani.*
13. *Respondetur ad Authoritatem Panormitani.*

N. I.

Quid per Sacrum Ordinem *intelligatur?*

NOmen *Ordinis Sacri* præsiùs accipiendo, & spectando simul nostræ, quam pertractamus, controversiæ scopum, intelligigitur per ejusmodi vocabulum ac rem *verum* in Romana Dei Ecclesia *Sacramentum, quo quis novitate Benedictionis à communitate vulgi segregatur, & populi Doctor, Rectórque consecratur*: quemadmodum Gregorius Nyss: *Orat. de S. Baptist.* loquitur.

Unde non Regale tantùm Sacerdotium *Ordinis* constituit dignitatem, sed & cum Diaconatu ipse etiam Subdiaconatus in sacri honoris istius participationem, societatémque admittitur; ut, quicunque alterutrô Horum Insignî præfulget, *Clericî* hòc ipsò titulum & prærogativas adipiscatur, & *Sacro*, de quô hîc tractatur, *Ordine* gaudeat.

N. II.

Differentia inter Monachismum abstractivè, & concretivè *acceptum.*

DUpliciter accipi Monachismus potest, *abstractivè* scilicet, & *concretivè*. Priori modo

modo ſpectatur, ſi ab ipſis, quas Religio quælibet involvit, *circumſtantijs*, *conditionibus*, & *ipsâ etiam Regulâ* præſcindatur. In poſteriori verò acceptione conſideratur, prout certis jam *circumſtantijs*, *conditionibus* & *legibus* &c. alligatur.

Monachiſmum autem, ſive tò *Monachum* non ſtrictiorem ſemper, ſed laxiorem nonnunquam ac univerſaliorem induere notionem, vult expreſsè Rosvveydus S. J. *Vindiciarum Kempens.* c. 14. apud Conſtantinum Cajetan. in *Gerſene reſtituto c. 8.* dum fatetur, *Authorem libelli de Imitatione Chriſti Monachum fuiſſe, ſiquidem latè ea vox, ut ſæpè fit, capiatur.*

Fatemur ergo ultronei, ac ingenuè, ſi Monachi nomen in *generico ſenſu*, & *abſtractivâ* prorſus ratione arbitremur, Clericatum *per ſe*, neceſſariò ac univerſaliſsimè non competere Monachiſmo; At illud admittere nunquam poſſumus, Clericatum non competere *per ſe* poſſe Monachiſmo *concretivè*, ſive, certas ſecundùm *circumſtantias*, *conditiones*, & *leges* &c. accepto: Religioni v. g. juxta *Ortum*, ac *Regulam ſuam* ſpectatæ. *Moralium* enim *rerum & complexorum* (quale ſtatus Religioſus eſt) Subſtantia tota unicè dependet ex qualitate *Originis* partim, partim ex *mente*, *Conſtitutionibus*, & *Regula Fundatoris*: ex his namque prædicata *per ſe* competentia, ultimatámque ſpecificationem ſuam, & eſſentiam accipit quælibet Religio, nec aliud, quod habeat, determinativum aſsignari poteſt. Unde ſi quidquam eorum,

quæ

quæ majoris paulò momenti sunt, vel mutaretur, vel expungeretur, jure diceres, quòd ejusmodi Religio in aliam rursus speciem degeneraverit.

Quod si igitur demonstraverimus (ùt solidè demonstrabimus) *Sacrum Clericatûs Ordinem* competere Religioni Benedictinæ vi *Ortûs sui*, & vi *Regulæ*, facillima erit conclusio, & enodatio positi in titulo dubij: *an scilicet Nostris* Clericatus per se *competat?*

N. III.

Ortus *Benedictinæ Religionis in* Clericatu.

ORtum ergò imprimis, & Familiæ nostræ Natalia inspiciendo, nullus est, qui ausit inficias ire, quin & ipse Adversarius suâpte profitetur id ipsum, quòd per Syricium Papam, injunctum fuerit Monachis, ut *Sacris* deinceps *Ordinibus* initiarentur, atque sic non DEO tantùm, sibíque, verùm èt proximo pro virili suo vacarent. Ex quo luculenter deprehendis, quòd à Christi Vicario Monachismus in sublimiorem conditionem evectus sit, & Authoritate Apostolicâ *Clericatûs* prærogativâ insignitus. Jam quæro, Glorioſus Patriarcha noster quâ ille ætate vixit? Nunquid mortuô pridem Syriciô? Ergo illo tempore nata est Religio nostra, quô Monachi, qui solitariam antea assuetam ruri, & aggrestem quasi vitam

vixe-

vixerant, *Clericatûs* fastigiô & honoribus insigniti jam erant, & ea tractabant, ac tractare poterant, quæ propria *Clericatûs* insignia sunt: ergo sua *Incunabula* Religio Benedictina trahit à Monachismo per *Clericatum* jam dudum nobilitato.

Quod si igitur ex omnium sententiâ in Nobilium is spectat album, qui vitam accepit & sanguinem ab homine, olim quidem plebeio & ignobili, sed per specialem exinde Principis gratiam nobilitatô, meridianâ nunquid luce clarius est, ex ejusdem similitudine argumenti, sacrâ Benedictinos *Clericatûs* nobilitate, eminentiáque gaudere, utpote quorum *Cunæ* feliciter in eam incidêre ætatem, quâ Monachismus jam ultra primœvam sortem elevatus, & *Clericatûs nobili* veluti *charactere* conspicuus extitit?

Hoc verò Argumentum permultum exindè roboris accipit, quod nostrum deducamus Stemma ab eo simul Parente, qui Diaconatûs Sacro Ordine resplenduit, atque sic in omnimodam adduci comparationem cum prioris ævi Patriarchis (puta Magno Antonio, Pachomio &c.) nullatenus potest, quàm parùm ætatis ejusdem Monachi nobiscum, utpote qui (dicendo ita) ex Patre, Matréque in ipsis statim *Sacris Natalibus*, seu *Ortu* genuinam *Clericatûs nobilitatem* jure filiationis in nos transfusam accepimus; quemadmodùm inferiùs, ubi titulum de *Actione* tractabimus, fusiori nonnihil stylo, alijsque insuper rationibus perquam validis comprobabitur.

N. IV.

N. IV.

Clericatus *etiam in* Regula *Benedictina fundatur.*

ALterum in rem noſtram depromim⁹ Argumentũ ex traditâ ab ipſo Divo Benedicto *Regulâ*, quæ expreſsè Abbatibus imperat, ut *Presbyteros*, & *Diaconos è* SUIS eligant &c. Ut dilucidè res appareat, verba ipſius ſacræ admetior Regulæ: Capite *62.* de *Sacerdotibus Monaſterij* Sanctiſsimus Legislator ita loquitur: *Si quis Abbas ſibi Presbyterum, vel Diaconum ordinare petierit, de Suis eligat* &c.

Pro genuino hujus textûs ſenſu eviscerando, obſerva: Ante tempora S. P. Benedicti Monachorum Superiores ab Epiſcopo petijſſe Sacerdotes, qui certis eis temporibus Miſſarum ſolennia celebrarent, & Sacramenta adminiſtrarent, quibus ritè peractis, ad propria remearent &c. ut conſtat ex vita S. Pachomij *c. 24.* qui non paſſus eſt quemquam inter ſuos, qui Clericatûs Officiô fungeretur. Quem deinde morem Sanctiſs. Pater Noſter non probavit, ſed ne exterum accerſere opus ſit, & Presbyteros & Clericos in Communitatum ſuarum conſortium lubens admiſit, & præterea, quando Abbas Presbyteros vel Diaconos ordinari ab Epiſcopo petierit, ut *è Suis* eligat, certas, gravésque ob cauſas mandavit: earum unam detegit S. Gregorius Magnus *l. 5. ep. 41.* aſſerens: quatenus *nec ille* (Abbas) *de Monaſterio ſuo hac de*

cauſa

causa egredi; nec extraneum sibi ad peragendum Sacrum Opus cogatur adducere. Convenientiùs enim est, inquit Hæftenus, *ut Monachus apud monachos celebret, quàm alius quispiam.* En! genuinum hujus, quem ex sacra citavi Regula, textûs, verborúmque sensum: quô nempe jubentur Abbates *è Suis* promovere ad Sacros Ordines, ne pro functionibus Clericalibus exteros compellantur accersere, & ipsi ideirco extra Monasteria vagari. Unde jam sic ratiocinor: *vi Regulæ* imperatur susceptio Sacrorum Ordinum, ergo *vi Regulæ* annectitur: & cùm annecti *vi Regulæ* aliquid, sit idem, ac *per se* aliquid convenire, ut *ex num. 2.* patefecit: ergo *Sacer Ordo per se* convenit Religioni nostræ. Hoc porro Argumentum ita promoveo: Quod est distinctivum unius statûs aut Ordinis ab alio, id ejusdem quoque est constitutivum; *Clericatus* est Ordinis Benedictini distinctivus ab alio statu & Ordine, v. g. Pachomiano &c. ergo Clericatus erit Ordinis Benedictini constitutivus, adeóque essentialis.

Dicta hactenus robur ex eo etiam accipiunt, quòd ea, quæ Ordini nostro *accidentalia* essent, apertè Sanctissimus Pater reliquerit arbitrio & discretioni Abbatis; quia igitur hanc circa ordinationem Clericorum potestatem Abbatibus expressè ademit: signum omnino manifestum est, non *accidentalem* & arbitrarium esse Religioni nostræ *Clericatum*.

Pondus suâ addit Authoritate Bonifacius Papa IV. ex cujus mente Monachis ea omnia licent;

licent, v. g. seminare DEI Verbum &c. quæ Sanctus Benedictus non prohibuit, ergo (legitimè infero) ea, quæ prohibuit ipse, non licent illis: prohibuit autem alienum accersere Sacerdotem, ergo id non licet, ergo proprium, & ex gremio habeant, necessè est.

Dicis: Sicut una hirundo (ut trita fert paræmia) non facit ver, ita unus duntaxat sacerdos, vel Diaconus non facit, ut tota inde communitas dicatur Clericalis.

Vel maximè facit: ùt enim in universali olim Ecclesia, & privatis quibusvis Ecclesiis etiam Cathedralibus paucissimi extitêre Presbyteri, prout S. Augustinus hac de re apud Mabillonium in *primo Ress.* conquestus est, ita in Monasterijs pariter non multi erant Sacerdotes &c. & hinc *locus olim prædicabatur celeberrimus, qui Presbyterum & Diaconum obtinebat*: ut annotat Boërius. Postquam autem in Ecclesijs Sacerdotum numerus crevit, auctus etiam is est in Monasterijs, & tanto quidem fructu, ut numerus Sacrorum Ministrorum (inquit citatus Mabillonius) fuerit proportionaliter major in Monasterijs, quàm in Clero. Sicut igitur toti ac universali Ecclesiæ, in qua multæ etiam myriades Laicorum numerabantur, paucíque erant Sacerdotes, Clericatus erat essentialis, ita Ordini pariter Benedictino essentialis est, & hactenus semper fuit, licèt paucores olim in eo extiterint Sacerdotes. Unde sic denique concludo: Illud alicui est Religioni essentiale, sinè quo illa subsistere nequit; at,

ſinè Clericatu Religio Benedictina, ſalvâ, ex quâ conflatur, Regulâ, ſubſiſtere nequit, ut abundè hactenus demonſtravi, ergo.

Ocurris iterum; Per particulam *Si*, quam Sanctiſſ. P. Benedictus in hoc ſuo contextu uſurpavit, houd obſcurè inſinuari, in Abbatis pendere arbitrio, num exterum velit accerſere, aut domeſticum è ſuis ad Sacerdotium promovere.

Falleris omnino: ejuscemodi quippe heteroclitum extorquere ſenſum, eſt cumprimis nefragari menti S. Gregorij, ùt demonſtratum.

Dein', Conjunctio *Si* ùt variè à varijs uſurpatur Authoribus, ita varium quoque conciliat ſenſum; Nonnunquam enim accipitur pro *conditione*, ſubinde pro *ſiquidem*, modò pro *utinam*, nonrarò pro ipſa particula negativa *non*, frequentiùs tamen pro *poſtquam, quando, ubi dum*, vel, *cùm* &c. ut videre eſt apud Ambroſium: Et in poſtrema hac acceptione pro *quãdo*, videlicet, vel *ubi* &c. uſurpatũ fuiſſe à S Patre iſtam inibi particulam, evincit manifeſtè ratio ſuprà adducta, ut iſte adeo evadat ſenſus citati textûs: *cùm, ubi*, vel *quando Abbas ſibi Presbyterum* &c. *petierit, de Suis eligat*, nec more aliorum Monachorum exterum accerſat. Quoniam ergo Abbas, aliunde *Sacerdorem*, vel *Diaconum* & non ex gremiô, ac *è ſuis* eligens, peccaret in Regulam, manifeſtè deducitur, ejusmodi Monaſterium, ubi nullum reperire foret Sacerdotem è gremio aſſumptum, nullatenus

Genui-

Genuino-Benedictinum fore, nec dignum, quod vel pro *sincero partu* à Glorioſiſsimo Parente, vel ab ipſa Sacratiſsima Religione pro *Filiâ non degeneri* agnoſcatur; quin ipſi etiam ſinceri Benedictinæ Religionis Filij in Regulam injurij ac irreverentes forent, ſi ejusmodi Monachos pro Germanis nihilominus Fratribus haberent ac venerarentur.

Quemadmodùm igitur (quod probè obſervandum) Ordini Benedictino *Clericatus* per nullius decretum Pontificis competit, ſed *vi ipſius Regulæ*: ita per nullum pariter is Decretum abrogari poterit; nî velit Ordinem in aliam omnino ſpeciem mutatum, aut penitus eliminatum. Et verrò *hujus* tum Religionis filij forent quidem Religioſi & Monachi, nullatenus tamen *Genuino-Benedictini*. Veluti ſi ipſis Canonicis Regularibus demeretur Clericatus, Religioſi quidem permanerent, non tamen Clerici Ordinis S. Auguſtini &c.

Illuſtrior eſt adhuc alia, quæ hoc ipſo ex textu Regulæ promanat, conſequentia; ubi videlicet Sanctiſsimus Pater Juſsit *Diaconos & Presbyteros è ſuis eligi*: Quis enim, ſi verborum corticem penitiùs rimetur, non palpabiliter intelligit, à Sanctiſsimo Patre tacitè inſinuari plures in ſuis Monaſterijs *Subdiaconos* coëxiſtere debere, è quibus ſeligere in Diaconos aut Presbyteros, qui digniores videbuntur, Abbas poſsit? quia neceſſum eſt, ad faciendum in articulo quocunque *delectum* complures præexiſtere, ac proximè quidem ido-

neos esse eosdem, ex quibus deinde prudens arbiter seligat, qui præ cæteris collibuerint.

Quòd si Divus Benedictus *Subdiaconatum* in suis Religiosis pro suppositò quasi non agnovisset, debuerat utique in hac Regula sua præmittere mentionem Subdiaconatûs. *Si dicas*, ut superfluum omissam id fuisse; quæro, quæ necessitas fuerit, ut *Diaconatûs* nomen exprimeret? cùm & hunc presbyteratus involvat, paritérque sicut & illum præsupponat.

Adverterit, opinor, prævalidum, quod ex ipsius sacræ Regulæ pharetrâ deprompsi, telum hoc Adversarium nostrum; unde maturiùs illud prævertendo, *f. 3.* ait: *Regulam non esse de essentiâ statûs religiosi absolutè loquendo*, &c. inque suæ, quam mordicus tuetur, opinionis fulcrum, producit Lessium *l. 2. c. 40. n. 9.* & Pellizarium *tom. 1. c. 1. n. 25.*

Quæ ego omnia de Religione *in communi* spectatâ lubens admiserim, secus de eadem sumptâ *specificè*. Nec in alio loquuntur sensu Authores citati, quàm *generico*.

Diversitatem verò Ordinum capi ex particularibus *Regulis*, *& Constitutionibus* Religionum, harúmque *fine* &c., disertè docet isidem Lessius per geminas Conclusiones locis allegatis. Et quamvis sint tantùm 4. Regulæ approbatæ, Basilij scilicet, Benedicti, Augustini, & Franciscì; *tamen singuli* (sunt verba Lessij.) *Suæ Regulæ proprias constitutiones adjunxerunt, quibus inter se discrepant, etiamsi eandem Regulam sequantur* &c. Cui accinit Azorius *Institut. Moral.*

ral. l. 9. c. 24. asserens, *Religionum Institutaesse diversa, aut ex Regula, aut ex Constitutionibus.*

Cæterum, Interpretes Regulæ nostræ planè omnes clarè supponunt, Clericatum vi Regulæ Ordini nostro esse annexum; ut Hæstenus, Smaragdus, Joan. Turecremata Card., Joannes Craesbeeck, Joannes Bertels, Antonius Perez, Joannes Caramuel, Gerardus Belga, Declarationes Patrum Congregationis Casinensis, Statuta Ordinis S. Benedicti Diœcesis Leodiensis; S. Rhabanus, B. Rupertus Tuitiensis, B. Petrus Damiani Cardinalis & Episcopus Ostiensis; quorum postremus *Apologeticum Monachorum contra Canonicos* scripsit, *to. 3. opusc. 28.* ita Canonicos affatus: *Multùm, Fratres Charissimi, si digni estis audire, miramur, quomodo, & obquam causam conamini nos à consortio & unitate universalis Ecclesiæ separare: cùm constet, à Monachis, non à Canonicis universalem Ecclesiam fundatam, gubernatam, & à diverso errore cribratam* &c.

Denique, aut errorem Typographi, aut Adversarij incuriam notat citatus Lessij locus, dum *c. 41. dub. 1. n. 9.* non autem *c. 40.* ea, quæ sunt allegata, Lessius scribit.

N. V.

Clericatum *Religioni Benedictinæ* per ſe *competere ex præmiſſis aſſeritur.*

FOrmemus nunc ex præmiſsis Argumentum ad hominem, ac proprio Adverſarium telo, verbíſque propriis eundem impugnemus. Juxta illum, *Clericatus* per ſe *habetur ab iis, quorum Ordini ita ex natura & inſtituto ſuo adhæret, ut ſinè illo tota Ordinis eſſentia deſtruatur, ſítque Religioſus talis Ordinis hoc ipſo & ex origine ſuâ Clericus*: atqui Ordini Benedictino ita ex natura & inſtituto ſuo adhæret Clericatus, éſtque Religioſus hujus Ordinis hòc ipsò, & ex origine ſua Clericus: ergo à Benedictinis Clericatus *per ſe* habetur. Minorem, quam negare ſolam poteſt Adverſarius, & debet, ſic oſtendo: Cujuslibet Ordinis inſtitutum & natura radicatur *in Regula*, à qua ſpeciem ſuam, perfectionémque accipit: ergo cùm Benedictinæ Religiôni (ſicut proximè demonſtravimus) *vi Regulæ* Clericatus conveniat, conſentaneum eſt, eidem Religioni Clericatûs titulum, & prærogativam *per ſe* competere: & cùm *nata* ſit in *Monachiſmo per Clericatum jam elevato*, habeátque Patriarcham, ſuíque Fundatorem in *Clericatu* pariter, & Diaconatu conſtitutum Religio Benedictina, non poteſt non dici ejuſdem Religioſus hòc ipsò & ex *origine* ſua talis eſſe.

Hîc,

Hîc, Amice Lector! mirari satis cùm Hæftено nostro *in Vit. S. Bened. prolegom. 18.* nequeo, Gabrielem Pennotum *lib. 2.* Historiæ Clericorum Canonicorum cap. 18. n. 4. & 7. asserere, Divum Benedictum suis *non ut Clericis, sed ut laicis Regulam vitæ præscripsisse, in qua de Clericis Monachis ne Verbum quidem habeatur.* Cùm tamen sanctissimus Pater Regulæ suæ cap. 60. *de Sacerdotibus, qui in Monasterio habitare voluerint*, præscribit, quomodo sacerdotes & Clerici suscipi debeant, & quomodo Officijs Clericatûs fungi possint. Capite cit. 62. *de Sacerdotibus Monasterij* decernit, quomodo Monachi ad Presbyteratum & Diaconatum sint promovendi, & quæ jam Ordinatis sint cavenda. Proinde non immerito hic Author à Francisco Bivario S. T. Doctore in Apologetico suo pro Lucio Dextro §. 4. reprehenditur. Quod verò ulterius dicit: *non legi aliquem illorum, qui se in prima saltem Ordinis institutione S. Benedicto instituendos tradiderunt, Clericum fuisse.* Id manifestè refellit Diaconatus S. Mauri, quô Authore Fausto, viæ, vitæque ejus comite & Scriptore jubente ipso S. Benedicto insignitus fuit. In eadem vita occurrit Simplicius Presbyter unus ex socijs, qui cum S. Mauro missi fuerant à S. Benedicto in Galliam, qui Sacrificium Redemptionis nostræ obtulit. Ex quibus satis evincitur jam tum Sacerdotes & Clericos Monasteriis non defuisse; & hinc nî fallor, apud posterioris ævi Scriptores Græcos illa Monachorum distinctio, quâ alij simpliciter *Monachi*, alij

alij verò Hieromonachi, sive sacri Monachi dicebantur: hi enim Hieromonachi erant sacerdotes; de quibus vid. Joannis Meursij Glossarium Græco barbarum.

Ad Regulam interea iterum deveniendo, mirari jam desino, cur Mabillonius noster Regulam S. P. N. Benedicti indigitarit *magis clericalem*, quàm S. Augustini, cùm in hac nulla fiat mentio Clericatûs, in illa verò crebrior.

Cæterùm, ex mente Clarissimi P. Roberti König nostri *lib. 3.* Decret. tit. 35 n. 3. ineptè dixeris Monachos ac Canonicos Regulares differre per hoc, quòd Monachi sint Clerici tantùm *per accidens*, & ex essentia sua non Clerici seu Laici; è contra Canonici Regulares sint Clerici *per se*. & ex essentia: Conveniunt enim Monachi (pergit is) nostri temporis cum Canonicis Regularibus, & omnibus alijs Religiosis in tribus votis substantialibus, solúmque quoad fines peculiares, & in accidentalibus quibusdam differunt, conformiter particularibus Regulis diversis hominum humoribus accomodatis.

N. VI.

Clericatus *non tantùm* per accidens *competit Benedictinis.*

DIximus hactenus de *Ortu & Regula*; ipsam nunc ergo Instituti rationem inspiciamus tantisper, & num vitam *unicè contemplativam* suis tradiderit Benedictus? sedulò explorémus.

mus. Inveſtigandum ſcilicet nobis eſt, qualis & ipſe vixerit *Protoparens Benedictus*, & gloriosa pariter ejuſdem *Poſteritas?* Pro Sanctiſsimo Patre perorat divinum ipſum Oraculum, quô cœlitûs à vita *contemplativâ*, & *idolorum ad pugnam* (ut propria ipſius ſonant verba) fuit vocatus. Quin ipſe Mons Caſinus, elinguis ſit licet, eloquentiſsimè tamen diſſerit, & quantâ poteſt, ſolennitate teſtatur, ſe Benedicto in acceptis referre, quòd ab idolis purgatus, fidei lumine illuſtratus, in eámque ſit evectus felicitatem, quòd tot Divorum illuſtre ſeminarium jure ac paſsim audiat: quin imò, ſi humanis quoque comprobanda res ſuffragijs eſt, in teſtes ſeſe offerunt Caſinenſes populi, quos in omni latè vicinia Sacro Monti adjectos Dei Apoſtolus in eam cœlitus adeò provinciam vocatus luſtrico tinxit fonte, fideíque Romanæ Elementis imbuit, ſicut infrà *de Actione* pluribus docebitur.

Tam luculenta Pij Patris veſtigia preſſo pede inſectatam fuiſſe æmulam ipſius *Poſteritatem*, docet nos Suada Romana, & ipſa Urbs Orbis, cujus & Juventutem per gemina Gymnaſia diſtributam in Sacro cantu, & Clerum in Sanctiori morum honeſtate inſtituit. Quemadmodum in allegato proximè titulo oſtendetur, ubi totus pro Noſtris Occidens ſtabit, gratúſque fatebitur, ſe Gratiæ Legem à Benedictinis accepiſſe.

Nunc ſciſcitor ex Adverſario; an hi tam præclari fructus, geſtáque publica in vitam queant, debeántque *contemplativam* refundi!

An vivendi ratio *à curis Animarum abſtracta* viguerit ibi, ubi per aperta litterarum Gymnaſia introductæ ſunt Muſæ, & Juventutis erudiendæ Magiſteria viguêre? An denique nullæ *vitæ activæ* veſtigia impreſſerint poſtero ſpectanda Orbi *ſpecioſi Evangelizantium pedes*, qui in varijs hinc indè Regnis Gratiæ Legem & Chriſtum pro nobis crucifixum cum Gentium Doctore Paulo promulgarunt?

Nolit, velit profitebitur demum hæc *Activæ* vitæ inſignia eſſe.

Alterum igitur telum, quod contra Nos intorquebat, levi à nobis brachio in auras retorquetur: *Per accidens* (inquit) *Clericatus habetur ab iis, quorum Ordo ad vitam duntaxat contemplativam, & à curis animarum abſtractam, ſibíque ſoli vacantem inſtitutus eſt*, &c. ſed (ſubſumo ego) Benedictinorum Ordo ad vitam duntaxat contemplativam, & à curis animarum abſtractam, ſibíque ſoli vacantem inſtitutus non eſt: ut allegata ipſius Sanctiſsimi Legislatoris, ejúſque ſequacium Diſcipulorum vita luculentiſsimè teſtatur, ergo. Certè aliter docuiſſe & aliter vixiſſe, ſuæque Doctrinæ per vitam contradixiſſe, ac Regulam adeò ipſam everſiſſe tantum Doctorem, nemo mihi unquam perſuaſerit. Et hic labor, hoc opus erit, ſi torta denique diſtinctiuncula excogitetur.

Eâdem ſcilicet facilitate ſeſe expediet Adverſarius, quâ fide inſinuavit, ſuppoſuítque Divum Patrem noſtrum perfectum quidem fuiſſe Monachum, abſque omni tamen Clerica-

tu;

tu; quasi jure novô, & hactenus inauditô ad Clericatûs titulum unus non sufficiat Diaconatus.

Cæterum, Beatissimum P. Legislatorem nostrum, tanquam vivum & alterum suæ Regulæ Exemplar vitæ *activæ* fundamenta ipsummet posuisse; ipsum quoque sacram Regulam vitæ *activæ* exercitia comprehendere, solidè non minùs demonstrat ex varijs, quæ in suis exercebant Cœnobijs Monachi, artibus, ac labore manuum, quàm dilucidè dissolvit Adversariorum Oppositiones Hæctenus noster *l. 2. disq. Mon. disq. 4. & 5.*

N. VII.

Multò minùs dispensativè *tantùm &* ex privilegio.

INsolens æquè mihi videbatur, quòd tam præfidenter ausus sit Antagonista dicere, Nostris *dispensativè* tantùm Clericatum competere: quando igitur, in quo capite, in quâ Regula Divus Pater interdixit, ne Clericatum Nostri susciperent, ut dispensatione ad illum assumendum opus sit? aut, quô se unquam votô ad detrectandum pro omni tempore Clericatum Nostri obligarunt, quô absolvantur? Evolvat quisquis velit, & revolvat Regulæ nostræ pagellas, ne apicem inveniet, aut syllabam, ubi quid hujusmodi præcipiatur.

Nullam pariter vel perfunctoriam tantùm similis-

ſimilis voti mentionem faſti dabunt; aut quis Romanorum Pontificum in tali cum Noſtris voto diſpenſavit? nominaſſet, credo, illum, ſiquem ſciviſſet Adverſarius. Sed quid hæc fruſtra urgemus, ubi ſuppoſitô manifeſtè laborat argumentum? nec voluit ullus Pontificum, nec diſpenſare potuit, ubi materia defuit diſpenſandi, & nullum ubi vinculum, quod tantiſper relaxaret Vicarius Chriſti.

Tam longè profectò abſuit mens ejusmodi à ſanctiſsimo Patre noſtro, ut potiùs in ſingulari Capitulo methodum præſcriberet, quâ actuales *Presbyteri*, *Clericíque in Religionem ſuſcipi poſſint*, ac debeant; unde meridianâ luce clarius eſt, quòd nullo prorſus titulô prætenſa ejusmodi *Diſpenſatio* colorari, nec ipſe etiam Adverſarius ullum allegare Fundamentum poſſit, quô probet, ſe non perperam & abuſivè locutum fuiſſe.

N. VIII.

Nec denique ex Jure *duntaxat novo.*

QUiâ identidem Adverſarius inculcat, & exprobrat, nullo *antiquô*, ſed *novo* tantùm *Iure* Monachos fieri poſſe Clericos, oſtendendum nobis eſt, quòd èt in hoc fallatur. Allegat ille toties proſe *Capit. Quod Dei, de ſtatu Monachorum*; hîc verò ſequentia hæc expreſsè verba leguntur: *per Anti-*

quos

quos Canones etiam Monachi possunt ad Ecclesiarum parœcialium regimen in Presbyteros ordinari. Quid luculentius tam claro, & nullius effugij, aut interpretationis tortæ capaci textu? Ita per *Antiquos* decernitur Canones, & in eodem quidem Capitulo, quod utpote sæpiùs citatum, sedulò Adversarius inspexerit. Vel infelix igitur, dum non observavit; vel non admodùm sincerus est, dum suppresit textum, qui eximere dubium utrique nostrûm poterat.

Adyciamus pro tituli hujus coronide, priusquam objectorum solutionem aggrediamur, mirabilem, quô Adversarius usus est, argumentandi modum, quando, ubi definit, quibus *per se* Clericatus, & quibus *per accidens* tantùm conveniat? in Exemplum mox opponit pro *primo* quidem Canonicos Regulares, Benedictinos autem pro *secundo*, ita differendo: *Ab illis Clericatus habetur per se, quorum &c. ut à Canonicis Regularibus &c. Ab illis autem per accidens, quorum &c. sicuti sanctus Benedictinus, alijque perfecti fuerê Monachi, absque omni Clericatu. &c.*

Amabo Deum! qualem mereretur plausum Logicus de Necessitate Logicæ &c. ita Syllogizans? *Illud est simpliciter & per se necessarium ad alias scientias, sinè quo comparari istæ nequeunt, ut est Logica*: Nunquid talis poneret pro suppositio ac exemplo id, quod in quæstione versatur? Nunquid Defendens negaret suppositum, deinceps in meliori forma ab Argumentante probandum? Ignoscat & mihi proinde

proinde Adverſarius, ſi exigam, ut ſuppoſitum ſuum demonſtret: hoc dum ille tentabit, ad objectorum ſolutionem ego procedam.

N. IX.

Diluitur primum Adverſarij Argumentum.

ENthimema cudit Adverſarius *fol. 51.* cujus *Antecendens* ingenti variorum, quæ ex ſummis Pontificibus, Canonibus, Concilijs, Doctoribus ac ſanctis Patribus &c. deprompſit, Argumentorum apparatu inſtruit: ùtque contendat, Monachos non niſi *per accidens* Clericatu gaudere, totus in eo ſudat, ut Canonicos Regulares *per ſe* Clericos eſſe demonſtret; quaſi verò modò ſubſiſtat antecedens, hòc ipsò in dubium nequeat amplius trahi conſequens. Poſtquam igitur multis ſe demonſtrâſſe credidit, Canonicos Regulares eſſe Clericos *per ſe*; ſubinfert continuò, Monachos eſſe Clericos *per accidens*. Ego verò, ut plus tribuam Adverſario, quàm à me forſan expectâſſet, tranſmitto antecedens cum tota teſtium, ſuffragiorúmque & rationum in idem ſemper recidentium voragine: at illud nego, & pernego, ex eo, quamvis liberaliſsimè conceſsô, quidquam contra Noſtros deduci poſſe. Quis enim ſuſtineat ejusmodi enthimema: Paulus *per ſe* nobilis eſt, ergò Petrus nobilis eſt tantùm *per accidens*? Nunquid Paulina Nobilitas

tollit

tollit Petrinam? Unius opes hominis suas alteri eripiunt divitias? aut bonus quis esse nequit, nisi malus sit alius? vel Divina Bonitas dum in unam se creaturam diffundit, ita exhauritur, ut derivare quid in aliam deinceps non possit?

Directè autem, & in formâ, quæ omnem Disputationi pulchritudinem conciliat, ut respondeam, consequens sic distinguo: Ergo Monachi sunt Clerici per accidens, qui in Clericatu non sunt nati, Transeat: qui in Monachismo ad Clericatum elevato nati, & ad vitam non contemplativam tantùm, sed & activam vi institutionis ipsius vocati sunt, quales esse Benedictinos adductæ supra rationes probant: Nego consequentiam.

In eundem distinctionis sensum respondetur, si differentia fiat, prout fieri debet, inter Monachum abstractivè & concretivè, ex genere, & in genere suo acceptum; aut si Monachus universalissimè, suisque à differentijs præcisus inspiciatur, vel prout ad certam jam differentiam, Benedictinam v. g. contractus. Est scilicet in Religione Benedictina nobile complexum utriusque speciei, tam Monachorum, quàm Canonicorum perfectiones ac decora participans; in quo pulcherrimo fœdere *Monachismus*, & huic vi Regulæ, adeóque *per se* conveniens *Clericatus* sic in unam coaluerunt, ut ex mutuo augescant splendore, & promicans in Clerici titulo Dignitas per Monachi sanctitatem in uno eodemque homine mirificè illustretur.

Sed

Sed quid ad tot Authoritatum, suffragiorumque cumulum? Veneror pro eâ, quam debeo cuilibet Classi, reverentiâ: Et, cùm suum Dominis Canonicis, quem præseferunt, splendorem non invideam (modò non cum alieni honoris dispendiô fiat) supervacaneum, duxi, exactius scrutinium fore, nec operæ pretium, ut aut fidem, aut vim textuum anxius explorem; præsertim, cùm Eorum Clericatum lubens admittam, & ea, quæ conflantur ex purâ authoritate, inferioris sint generis, nec nisi *extrinsecam* conferant *rationem*: nobis è diverso *intrinseca* subministratur ex ipsius Regulæ visceribus, quæ Sacerdotes *è gremio* jubet eligi, & in alio rursus capitulo Clericos in Religionem admitti.

Et verò si authoritatem quoque à nobis exigat Adversarius, nec illa deest, Magnus imprimis Basilius *c. 18. Constitutionum monasticarum*, cujus titulus est: *ad Canonicos in Cœnobio*: rerum, juriúmque Ecclesiasticorum haud dubiè scientissimus, *Canonicorum* titulô Monachos insignivit. Et Concilium Ephesinum Clerici tribuisse nomen legitur apud Mabillonium in *Responso primo*; apud quem eundem refertur, quòd Gregorius Turonensis, dum de Monachis loquitur, eos Ordinariè Clericos appellarit. Ex Marculpho quoque *lib. 2. cap. 2.* Et aliis colligitur, Monachos nuncupatos fuisse *Clericos*, ita ut *accipere tonsuram monasticam* idem fuerit, ac *fieri Clericum*. Nec ad rationem Clerici plus requirit modernus quidam & celebris nuper in Univer-

Universitate œnipontana Juris Canonici Professor, quàm Personam ad cultum divinum specialiter deputatam.

Adde præterea Anastasium Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarium, qui in Greg. IV. Benedictinos nuncupat *Monacho-Canonicos.*

Quin ipsum Concilium Augustodunense sub Leodegario Episc. & Martyre Benedictinorum Ordinem *Canonicum* appellat; sic ejus Canon. XV. audit: *De Abbatibus verò, vel Monachis ita observare convenit, ut quidquid Canonicus Ordo, vel Regula S. Benedicti docet, & implere, & custodire in omnibus debeant &c.*

Et hinc, credo, factum, ut Sapientissimus Leonardus Vairus, Beneventanus, SS. Theologiæ Doctor in libris *de Fascino Canonicus Regularis Ordinis S. Benedicti* apertè scriberetur.

Suum denique addit calculum S. Thomas, graviter pronuntians: in omnibus convenire Monachos cum Canonicis Regularibus, solam si excipias severiorem disciplinam: *Omnia habent* (Monachi) *quod est Canonicorum Regularium, sed cum majori arctitudine &c.*

N. X.

Ordinem Canonicorum Regularium Monasticum esse pluribus evincit Mabillonius.

OMittere hîc ea nequeo, quibus eruditissimus Mabillonius noster summam, ut ita loquar, affinitatem, necnon omni-

modam, quam Adverſarius tantopere horret, identitatem Canonicos Regulares inter & Monachos eruditè demonſtrat. Sic igitur è re noſtra proloquitur.

Verùm, etſi Canonicis Regularibus concederetur, eos ut *Canonicos* eſſe Clericos, taléſque à ſua origine fuiſſe, non ineptè dixeris, eos ut *Regulares* ad conditionem & ſtatum Monachorum redigi; & quemadmodum Benedictini ſunt *Monacho-Clerici*, ita eos eſſe *Clerico-Monachos*. At jam oritur quæſtio, utrum qualitas Monachi Clerico ſuperveniensipſos non ad eundem ſtatum reducat, quo ſunt illi, qui à ſua origine & Monachi, & Clerici ſunt? Enucleëmus utrumque caput, & à primo quidem ordiamur.

Conſtat ex teſtimonijs Veterum per *Regularem* ſemper fuiſſe Monachum deſignatum, ſempérque Ordinem Regularem oppoſitum fuiſſe Ordini Canonico. In Concilio Vercellenſi Anno 755. celebrato hoc diſcrimen ſignanter notatur Canone 11. quô decernitur, ut tonſurâ initiati vivant aut in Ordine Regulari, aut in Ordine Canonico: *ut in Monaſterio ſint ſub Ordine Regulari, aut ſub manu Epiſcopi ſub Ordine Canonico.* En! diſcrimen conceptis verbis expreſſum. Status *Canonicus* abſque dubio eſt Status Canonicorum ſub Epiſcopo viventium, & *Regularis* certè Monachorum.

Idem diſcrimen occurrit in Capitularibus Caroli M., in quibus inſtitutio Canonica opponitur Regulari, id eſt, Monaſtico: *De relinquen-*

quentibus ſæculum, ut unum è duobus eligant, aut pleniter ſecundùm Canonicam, aut ſecundùm Regularem Inſtitutionem vivere debeant. Præterea, vivere *Canonicè*, aut *regulariter*, erant duo termini, quibus exprimebantur hæc duo vitæ genera, uti diſcimus ex Canone XXI. Concilij Moguntini Anno 813. celebrati, ubi de Canonicis dicitur, *ſi Monachi fieri voluerint, regulariter vivant, ſin' autem, Canonicè vivant omnino:* & Canone ſequenti de Clericis vagabundis dicitur, eos neque Canonicam, neque regularem vitam ducere: *ſinè canonicâ vel regulari vitâ degentes.* Denique Canone 40. ſecundi Concilij Cabillonenſis jam ſupra memorati ſtatuitur, ut Sacerdotes exauthorati relegentur ad Monaſteria Canonica, aut Regularia, id eſt, Monaſtica: *In Monaſterio Canonico, aut Regulari.* Quam ob rem etiam Authores primarum Congregationum Canonicorum Regularium in loca à ſæculi commercijs ſemota ſe ſubduxerunt, videlicet quatuor illi Canonici Avenionenſes, qui urbe egreſſi Eccleſiam S. Rufi incoluerunt. Aroaiſenſes in locum magis ſolitarium ſe receperunt. Gulielmus de Campis ſelegit Eccleſiam S. Victoris in Suburbanis Pariſiorum tum Prioratum à S. Victore Maſilienſi dependentem, præ cæteris primos Authores Congregationis VVindesheimenſis in Solitudines horrendas conceſsiſſe Monaſteria Vau-verdenſe, & Rubri-Clauſtri in Brabantia inter denſas ſilvas conſtructa fidem faciunt. Unde & vitæ ratio non multum à Monachorum vita abludebat, quo-

rum nomen non erubuerunt, quoties rebus ſuis commodum, expediénſque cenſuêre.

Ex his, alijſque teſtimonijs, quibus ſcientes ſuperſedemus, conſtat, Ordinem Regularem eundem eſſe cum monaſtico, & vivere regulariter eſſe vivere more monachorum.

Hanc ob cauſam Canonici, qui fæculo XI. ſeveriores vitæ leges amplexi ſunt, Regulares ſe dici voluerunt, ut ſignificarent, ſe Canonico-Monachos eſſe. In nobili controverſia ob Authorem Librorum de Imitatione Chriſti exorta, cùm Benedictini Canonicis Regularibus objeciſſent, Authorem à Canonicis Regularibus vindicari non poſſe, quòd ipſemet ſe Monachum fateatur, ultimô Scriptô reſponderunt, Thomam de Kempis & ſe, & ſuos Confratres ſæpè monachi nomine compellaſſe. v. g. Opuſculo II. *O! Monache! ad quid veniſti? quare mundum reliquiſti? Cur cappam iſtam induiſti?* Et in ſermone ad Novitios: *Frater Monache.* Et alibi: *O Religioſe Monache!* Ita ante annos undecim Canonici Regulares locuti ſunt: At cùm jam eorum rationibus nomen Monachi officiat, aliam chordam tangunt. Monachi nomen ſummis viribus à ſua Profeſsione eliminare, & in Benedictinis deprimere contendunt. At ringantur licèt, & reluctentur, quantum volent, neceſsè eſt, fateantur, quòd ſint Regulares, & ut tales ad Statum, & Conditionem Monachorum reducantur.

Paulus Veronenſis ſæculi XV.ti celeberrimus Canonicus Regularis fronti epiſtolarum ſuarum Mo-

Monachi nomen ita præfigit: *Paulus Veronenſis Monachus ſummo Cardinali Sanctæ Crucis appellato &c. Paulus Veronenſis Monachus doctiſſimo Præceptori ſuo Guidoni &c.* Quod ſæpiùs alibi repetit. Non ſolùm privati, ſed integra Collegia Canonicorum Regularium nomen Monachi non erubuerunt. Canonici Regulares S. Leodegarij Sueſsionenſis fidem facturi, Eccleſiam parochialem uni ex eorum numero à noſtris datam nulli præjudicio futuram Abbatiæ S. Criſpini ita loquuntur: *Joannes permiſsione Divina Abbas Monaſterij S. Leodegarij Ordinis S. Auguſtini Sueſsionenſis, & totus Conventus ejuſdem loci omnibus, & ſingulis, ad quos præſentes pervenerint, ſalutem. Ad perpetuam rerum memoriam atteſtamur, quòd quamvis Monachi ſeu Canonici noſtri Monaſterij & Ordinis regere, & obtinere poſsint Eccleſias parochiales noſtrorum Monaſterij & Ordinis ex Juris permiſsione, eò quòd Regulæ ſerviunt laxiori &c. Die ultima menſis Novembris anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo primo.* Ex his litteris, quæ Anthographæ in Abbatia S. Criſpini aſſervantur, obiter videre licet, Canonicos Regulares non vi Statûs ſui, ſed ex *Juris permiſsione* ad procurandas Eccleſias parochiales admitti, ſed quod præcipuè cauſæ noſtræ favet, eſt, quòd nomen Monachi Canonico præponant: *Monachi ſeu Canonici noſtri.*

Facilè foret, alia complura in hanc rem coãcervare teſtimonia, ſed finiendæ controverſiæ ſuffecerit, quod Anno 1365. Concilium An-

degavenſe ſubminiſtrat. Id Concilium cùm primo loco de Monachis egiſſet, cap. 20. de Canonicis Regularibus S. Auguſtini ita decernit: *Abuſionibus quorundam Canonicorum Regularium noſtræ Provinciæ Turonenſis, qui ſecundùm Beati Auguſtini Regulam debentes laudabiliter vivere .·.·. obviare volentes, approbante Concilio duximus, quod Monachi dicti Ordinis*, &c. His ita dictis, quis negaverit, Monachi nomen æquè Canonicis Regularibus, quàm Benedictinis convenire. Poſtremo nulla cauſa eſt, cur ſe à Statu Monaſtico ſejungant, niſi fortè ex hoc ſolùm capite, quòd ex ſententia Innocentij III. *Regulæ laxiori inſerviant.*

Jam ſi conditio Monachi ex mente Canonicorum Regularium ſacerdotem aut Epiſcopum in Ordinem redigit, aut degradat; ſi ad exauthorandum Papam ſatis eſt, ut Monachum induere cogatur, quare refragantur, ne concludamus, conditionem Monachi Clerico ſupervenientem in ipſorum perſonis, eoſdem à ſtatu Clericali dejicere?

Fortè dicent, ſe non eſſe Regulares, & conſequenter non niſi ex accidente Monachos?

At non ſunt illi virtute ſuæ profeſsionis Monachi, quod æquè eſſentiale ipſis eſt, atque eſſe Canonicos?

Si Regulares ſunt, & conſequenter Monachi vi ſuæ Profeſsionis, quare non eundem finem particularem cum Monachis habebunt, qui eſt, ex ipſorum ſententia, *propriæ ſaluti incumbere, perfectam Sæculi abrenuntiationem*

pro-

profiteri, esse mortuum mundo, plorare & non docere, donec necessitas aliquarum Ecclesiarum, quarum Domini sunt, eos ad animarum salutem procurandam evocet? Ita revera illi faciunt, etsi nolint vocari Monachi.

Verùm communis loquendi populorum usus, qui ductum naturæ sequitur, eos semper Monachorum nomine compellabit, etsi ringantur, fremántque. Hactenus ille: è quibus nonnulla, ne pungant, omitterem lubens, si fide id fieret integrâ, & Authore tantô non corruptô.

N. XI.

Dissolvitur secundum Adversarij Argumentum.

AB indirecta probatione directam insinuat Adversarius, & delibando tantùm, quod formari inde poterat, argumentum, dicit: *ex Habitu* præterea, *fine, ac definitione Monachi patere, quòd Monachi non nisi per accidens Clerici sint.*

Ab *Habitu* ordiendo solutionem, capere vix possum, an ideo minùs *clericalis* sit *Habitus* Monachorum, quia Christi plùs sapit humilitatem, & è viliori consuescit materie componi? certè & Apostoli in *pellibus caprinis, & melottis* incedentes, nobis assimilantur magìs, quàm modernis Canonicis Regularibus, nihil nisi splendidi, nitidíque præseferentibus.

Oportet mens alia fuerit, alia Theologia Canonicorum Regularium laudatissimis Majoribus, quos ut plenius cognoscas, accipe paucula, quæ de illorum habitu appono ex vita S. VVilhelmi Roschildemis. *In Abbatia S. Genofevæ* (refertur ibi) *comedebant panem furfureum, & herbas agrestes, habitus erat pannosus, & ex abjectis vestibus.* Et universim omnes non acceptabant aliud nomen, quàm *Fratrum.*

Verbô, Institutum Canonicorum Regularium penè nil differebat ab Instituto Monachorum, *unius penè, ejusdémque propositi*, ut ait Urbanus II. Imo vi sui Statûs à monastica professione alieni non sunt; *etsi à Sanctorum Monachorum proposito non putentur sejuncti*: ut loquitur Innocentius III. & probatum est mox fusiùs.

Testatur noster pientissimus Hæftenus *disq. Mon. l. 5. tr. 7. disq. 2. Canonicos Regulares cucullam adeò aliquando ambivisse, ut Synodali constitutione id illis inhibendum fuerit.* Unde in Concilio Aquisgranensi expresè statuitur, *ut Canoniti cucullas non induant.*

Nec tamen, ut obiter hîc subnotem, asseverare Adversarius veretur: *Cucullum esse ita Monachorum proprium habitum, ut Canonicis Regularibus NON NISI ob publicum crimen, veluti in pœnam delicti inijeriatur.*

Amabo DEUM! quodnam *publicum*, aut quale unquam commisêre *crimen*, *delictumve* Sanctissimi Illi Ordinum fundatores ac Reformatores Bruno, Oddo, Ludovicus Balbus,

An-

Antonius Paduanus, Dominicus; qui omnes ſepoſitô, quem ſemel aſſumpſerant, Canonicorum Regularium habitu, cucullam monaſticam ſuis ultro injecêre humeris? ubi *publici*, quô notam undique ſanctitatem contaminarint, *criminis* tabulæ? ubi notorij, qui deſiderantur, delicti teſtes? Nempe *inſana præcedendi libido, & congenitus erga ſplendorem* monaſticum *livor*, *ita aliquos excæcant, ut & Superos infeſtare, & Acheronta movere audeant.* Quæ reſorbenda tandem quòd vel invitus propinem, indulgebit utique Adverſarius, qui (fol. 6.) eadem, & longè acerbiora *Vindici noſtro* innocenti nocens ſorbenda porrexit, quando *plumbeo* eum *ac petulanti aſſertô*, *ineptiſsimè* inſuper, *blaſphemo* quoque *in ſpiritum ſ. calamo* necnon *hæretico ſpiritu ductum*, aſſerere non eſt veritus.

Quam, obſecro, inquies Amice lector, ob cauſam, tam gravi caſtigatur Vindex cenſurâ? Paucis, at ſincerus ediſſero: Ex illo Juris Canonici *cap. quod Dei Timorem de Statu Monachorum*, ubi dicitur, *Canonici Regulares Regulæ inſerviunt laxiori*, ita intulit Vindex: *Si* prædicti Sancti Bruno, Oddo &c. *ex laxa illa Regula perfectionem ſeſe conſequi tam facilè poſſe conſiſi fuiſſent, non dimiſiſſent Regulam laxiſsimam, & ad ſtrictiorem anhelaſſent.*

Hoc enimvero Vindicis erat ac unicum delictum, quô injuriam adeo cenſuram mereri Adverſario videbatur: exhibui eam Viris doctis, & probis; & ad ejus aſpectum attoniti, inhorruêre, útque erroneam, privato homini

incompetentem, ac Heterodoxis omnino scandalosam penitus rejecerunt.

Et vero, ne in argumento per se evidente multus sim, quis alius S. Brunoni finis fuerit, ut S. P. N. Benedicti, quam Suis proposuit, Regulam, aliàs minimè laxam, asperis adeo constringeret Statutis: quàm quòd confideret, eos *facilius* perfectionem ita consequi posse &c.? An idcirco *blasphemus in spiritum sanctum*, ac ipsam, quam profiteor, Regulam, imo *hæretico spiritu inductus* audiam?

Vel, an ideo improprius est Clerico monasticus habitus, quia formam dictat, & continet singularem? utinam Adversarius Romanos lustrâsset accuratior fastos; deprehendisset enim Clericos à Nobis sui vestitûs rationem olim traxisse, nec puduisse illos, ut, quorum Exemplis tam glorioss ad virtutem animabantur, eorum quoque habitum imitarentur; quando enim Benedictinorum tanta extitit Sanctitudo, ut ex illis plures in Pontifices creati, in aureo Ecclesiæ Candelabro, & Romani Pontificatûs apice mererentur exponi publico, Romani Clerici ceu morigeri eorum filij censuerunt, dignissimum esse, ut summi Christi in terris Vicarij non mores tantùm, sed & vestes vivâ ipsi æmulatione exprimerent, versô violaceô, quem priùs usurpârant, colore in nigricantem. Videatur Hæftenus loc. cit. *disq. 1.*

Finis porrò Religionis nostræ cùm sit is ipse, quem juxta ipsius Adversarij confessionem Canonici Regulares sibi præfixum habent, non video,

video, ex quo capite eodem licèt onere fungamur & munere, non idem tamen honoris & prærogativæ titulus nobis admittatur? *Finem* sui Ordinis statuit Adversarius *f. 48. in Choro ac Divini Officij celebratione*; nec malè, nam juxta Lesium, loco suprà citato, *Canonicorum Regularium præcipua functio est, horas Canonicas in Choro piè decantare.*

At, quis nescit, *in his duobus* potissimùm Benedictinos & occupari quotidie, &, quòd industriè, ac cum insigni accuratione idipsum factitent, ab alijs passim deprædicari?

Hoc certè ut felicius præstent, non sinè ingenti, multiplici ac pertinaci labore Juventutem erudiunt in Musicæ artis disciplinâ, quæ proindè permultum debet Benedictinis, quòd hac, quam vivimus, ætate insigniùs floreat.

Hunc pro domo Dei Zelum utique hausérunt ex sanctissimo Parente, qui in utero adhuc materno concluſus, cecinisse fertur, atque sic pulcherrimum dedisse omen Cultûs in *Divino Officio* quondam propagandi.

Nam per integra 12. capitula tractavit *de Divino Officio ordinando*: ac ipsum locupletavit eximiè, cùm à duobus pientissimis juxtà, atque Doctissimis Cardinalibus Bellarmino & Joanne Bonâ in Tract. *de Psalmodia divina.* Septimæ, quam vocamus, Horæ Canonicæ, seu Completorij Auctor habeatur. Prout refert Reverendissimus D. Abbas Geisser *in Oculo Extatico S. P. Benedicti fol. 272.* Ex Regula quoque D. Benedicti habetur, quòd singulis Horis ab Eccle-

siâ

siâ præponatur : *DEUS in adjutorium meum intende. Bened. Hæften. Disq. Mon. l. 2.*

At, ex ipsa *Definitione* Monachi alium colligi *finem*, Adversarius contendit : examinemus itaque, utrùm & Definitio, & consequentia inde deducta subsistat?

N. XII.

Examinatur Monachi Definitio, *& annexa ab Adversario Corollaria.*

MOnachus (inquit *fol. 56.*) *propriè ac strictè definitur, qui tribus Regularium votis obstrictus, in sancto secessu propriæ saluti incumbit, ac curis omnibus tam sæcularibus, quàm Clericalibus exutus, uni Deo per amorem & contemplationem adhæret.*

Hanc Definitionem statuit Adversarius, sed nullâ prorsus Authoritate fulcit, nisi domesticâ: quam equidem sic admitto, ut eum, cui exactè illa convenit, è Monachorum bonorum syllabo non arceam; Eandem tamen penitus rejicio, quatenus Adversarius *fol. 58.* deducit ex eâ, quod Monachus sit ex *essentia sua Non-Clericus*, seu *laicus*; & quôd *per dispensationem* seu *ex accidenti* solùm sit Clericus.

Jam enim superiùs abundè ostendimus, Nostros Clericî nomen *per se* habere ideô, quia *vi Regulæ*, & *Ortûs*, seu à Sacris incunabulis tales sunt, *vitæq;* simul *activæ* incumbunt; quin imò, quia eundem cum Canonicis

Re-

Regularibus *finem*, *Chorum* ſcilicet, & *Officij Divini Celebrationem* habent, quorum ultimum manifeſtè ſatis Clericatum involvit, excludítque ſtatum laicalem, in quem nos deturbare, ſed fruſtra, conatur Adverſarius.

Unde ſi ad rigorem Monachiſmi Non-Clerici ſive laici exigeretur conditio (quemadmodùm deducit Adverſarius) nego in iſto Nos ſenſu Monachos eſſe: ſimul tamen & illud nego, quòd propria ratio Monachi idipſum requirat: ſi namque *ad eſſentiam* Monachi *Non-Clericus* ſeu *laicus* homo exigeretur, quo Jure potuit Sanctiſsimus legiſer noſter ſtatuere, ut & Presbyteri in Religionem admitterentur? Quô inſuper pactô Syricius Papa contra Monachiſmi *eſſentiam* decrevit, ut Clericatu Monachi deinceps inſignirentur?

Fatemur equidem ultro, quòd conceptus Monachi in genere, & ut ſic, abſtrahendo à ratione *Originis* & *Regulæ* (v. g. Benedictinæ) non involvat *per ſe*, ſive ſecundùm ſe rationem Clericatûs; illum tamen nec excludit: ſicut animal *per ſe* quidem, ſeu ſecundùm ſe non eſt rationale; tale tamen nec excludit: & ubi ſemel rationale evadit, non *per accidens*, ſed *per ſe* tale eſt.

N. XIII.

N. XIII.

Reſpondetur ad Authoritatem S. Thomæ, & Gratiani.

INter omnes, quas contra nos ponit Adverſarius, Princeps Authoritas eſt S. Thomæ: qui *2. 2. q. 189. a. 8. ad 2.* Canonicis Regularibus nonnihil favere in ſpeciem videtur, ſicut & Gratianus.

Cujus tamen utriuſque textum Doctiſsimus Mabillonius noſter tam luculenter in partium noſtrarum favorem exponit, ut ſuperfluum foret, quidquid tanto Authori ſuperadderetur; maximè cùm ejuſdem Paraphraſtes Plurimùm R. Religioſiſsimus & Clariſsimus P. Franciſcus Mezger SS. Theologiæ & J. U. Doctor Controverſiarum ac SS. ſcripturæ in alma Univerſitate Salisburgenſi Profeſſor emeritus &c. permultum & ipſe roboris ſuâ, quam illuſtri eruditione, famáque pari in dicta Univerſitate comparavit ſibi, authoritate afferat; in quorum proinde reverentiam nec aliâ, quàm Mabillonij reſponſione, nec alijs, quàm prælaudati Paraphraſtis latinis verbis utar.

Quemadmodùm verò (inquit Mabillonius) Adverſarij abuti ſolent Hôc utrôque, (id eſt, Divo Thoma, & Gratianò) modô prorſus mirabili, ita non poſſumus non circa hoc nonnihil ſubſiſtere.

S. Thomas igitur tractans quæſtionem, an permiſſum ſit tranſire de una Religione ad aliam? devenit ſpecialiter ad Canonicos Regulares,

lares, & quæri, num ad vitam Monaſticam tranſire poſsint? ut ordinariâ ſuâ ſoliditate exactè hanc difficultatem reſolvat, ſupponit, quòd Monachi, & Canonici Regulares (hoc enim ordine illos ponit) ſint deſtinati ad functiones vitæ contemplativæ, inter quas officia Clericatûs, hoc eſt, Divina Myſteria primatum tenent. Supponit poſtea, quòd Canonici Regulares juxta ſuum ſtatum relationem habeant ad Clericatum, & ſint deſtinati ad hæc Sacra Myſteria: verùm, quia hoc nomen, *Monachi* non includit *per ſe* conceptum Clericatûs, poſſunt eſſe duæ Monachorum ſpecies, quarum una ſit merè laicalis, altera Clericalis. His ſuppoſitis S. Thomas reſolvit quæſtionem, dicendo: quòd Canonici Regulares revera non poſsint tranſire ad ſtatum Monachorum, qui eſſent purè laici, ſuppoſitô, ſi ejuſmodi ſpecies daretur: poſsint autem tranſire ad ſtatum Monachorum, qui eſſent Clerici & deſtinati ad ſervitiâ Altaris; ſiquidem iſti habent, quæ conveniunt Canonicis Regularibus, videlicet, Clericatum, & habent aliquid amplius, nempe majorem auſteritatem. *Sed ſi Monachi*, inquit, *ſunt Clerici, Sacris Myſteriis obſequentes, habent id, quod eſt Canonicorum Regularium cum majori arctitudine. Et ideo &c.* Ecce! quid in hoc puncto dicat ſanctus Thomas. Sed ubi reperietur, quod doceat, Monachos hujus ſecundæ ſpeciei non eſſe Clericos nisi *per accidens*.

Verum quidem eſt, quòd ſupponat, quòd Conceptus Monachi in ſe non includat Clericatum,

tum, & conſequenter poſsint dari duo genera Clericorum, & non Clericorum: ſed dicere, quòd hi, qui ſunt in ſtatu Clericorum, non ſint tales niſi *per accidens*, eſt idem ac ſiquis diceret, quod animal in ſe, *per ſe* non includens rationale, non ſit rationale nisì *per accidens*.

Benedictini ſunt Monachi, verum eſt: ſed Ordo illorum *natus eſt in Clericatu*, fuerúntque ſemper deſtinati ad ſervitia Altaris. Et ſic licèt quoad qualitatem Monachi per præciſionem methaphyſicam non ſint deſtinati ad Clericatum: in qualitate tamen *Benedictinorum* ſunt æquè deſtinati, atque Canonici Regulares: *Habent id, quod eſt Canonicorum Regularium cum majori arctitudine.* Igitur non ſunt tantùm tales *per accidens*, cùm ſint tales *vi ſui ſtatûs* tanquam *Benedictini*, ſi aliàs non forent, in quantum ſunt Monachi Cœnobitæ.

Verùm quantumvis libenter concedatur, quòd conceptus Monachi præcisè ſumptus non includat in ſe Clericum, fatendum nihilominus eſt, quòd Argumentum, quô communiter utuntur ad probandum, quod ſtatus Monachorum exſua origine non ſit ſtatus Clericalis, ſuſtineri prorſus non poſsit,

Argumentum hoc innititur fragmento cujuſdam epiſtolæ S. Gregorij, relato à Gratiano *16. q. c. 2.* in his terminis: *Nemo poteſt & Eccleſiaſticis obſequijs deſervire, & in Monachica Regula ordinatè perſiſtere, ut ipſe Monaſterij diſtructionem teneat, qui quotidiè in Miniſterio Eccleſiaſtico cogitur permanere.* Hinc ali-

aliqui inferunt, quod ſtatus monaſticus cum Clericatu ſit incompoſsibilis; omnéſque conantur exinde argumentum formare, quô oſtendant: quòd in conceptu Monachi non includatur conceptus Clerici.

Sed poteſt ſecurè dici, non fuiſſe lectam integram epiſtolam, ex quâ hoc fragmentum deſumptum eſt, quamquam poſteriores ſint adhuc tolerabiliores, quàm primi. Gregorius Magnus (*lib. 4. Ep. 2.*) in hac Epiſtola, quæ ſcripta eſt ad Joannem Epiſcopum Ravennatem conqueritur, quòd c rti Eccleſiaſtici ſæculares, fingentes ſe ducere vitam Religioſam, præſumpſerunt ſibi arrogare regimen quorundam Monaſteriorum. Magnus hic Papa dicit, quòd hæc duo officia ſint incompatibilia: ſiquidem iſti Eccleſiaſtici, cùm ex unâ parte eſſent alligati alienæ Eccleſiæ, non potuerunt huic officio conjungere exercitium vitæ monaſticæ, ad quod eos obligabat qualitas Monachi, multò minùs adhuc regimen alicujus Monaſterij, quod ab illis exigebat qualitatem Superioris. Ideò Joanni mandat, ut hunc abuſum corrigat, & dicit, ſe nunquam toleraturum, ut Monaſteria deſtruantur per ambitionem ejuſmodi Clericorum: *Nullô modô patior, ut loca ſacra per Clericorum ambitum deſtruantur.* Ecce ſubſtantiam hujus Epiſtolæ!

S. Gregorius *l. 6. ep. 40.* eaſdem querelas renovat in epiſtola ſcripta ad Marinianum Joannis ſucceſſorem. Circa quem Gratianus annotavit, quòd Clerici iſti Ravennates, ſub

ſpeciè Religionis, occupabant Monaſteria, quando habitum monaſticum aſſumerent, & titulum ſuum relinquerent: *qui ſimulata*, inquit, *Religione Monaſterijs cupiebunt præfici, non tranſeuntes ad Monaſticum habitum, neque renuntiantes Eccleſiaſticæ militiæ.*

Jam quæro, an rationabiliter inferri poſſit ex hoc primo loco S. Gregorij, quòd ſtatus Monaſticus ſit oppoſitus Clericatui, ſive, quòd conceptus Monachi non includat in ſe conceptum Clerici?

Gratianus *16. q. 1. c. 3.* qui his duobus erroribus occaſionem dedit, commiſit & alium; comparando textum Epiſtolæ S. Gregorij, de quâ locuti ſumus, cum aliô, deſumptô ex quadam Epiſtola Innocentij I. ad Victricium Epiſcopum Rotomagenſem: En formalia! *De Monachis, qui diu morantur in Monaſteriis, ſi poſtea ad Clericatus Ordinem pervenerint, ſtatuimus non debere eos à propoſito diſcedere.* Gratianus ex his duobus locis hanc conſequentiam infert: ſi ex unâ parte, juxta mentem Innocentij I., non eſt permiſſum Monacho ſuum ſtatum deſerere; & ſecundùm S. Gregorium non poſſunt ſimul conjungi hæc duo officia vitæ Monaſticæ, & Clericatûs: ſequitur, quòd Monachus non poſsit aſſumi ad Regimen parochiarum.

Sed relinquendo diſcurſum hujus rei, certum eſt, quòd Gratianus non benè percepit ſenſum hujus Papæ Innocentij. Ut hujus convincatur, plus opus non eſt, quàm ut legatur integer textus capitis 10. hujus epiſtolæ, & videbitur,

bitur, quòd in hoc loco non agatur, nisi de votis essentialibus vitæ monasticæ, præ omnibus verò Castitatis, quod falsi quidam Monachi tunc existimarent, eam se posse violare impunè, si Clerici fierent, & postea nuberent, sicuti concessum erat ijs, qui non nisi simplices Clerici erant.

Hunc sensum confirmat etiam Epistola Leonis ad Rusticum Episcopum (20. q. 3. c. 1.)

Videatur post hæc, an fidendum sit omnibus his citationibus detruncatorum, malè intellectorum, & adhuc peiùs ordinariè applicatorum textuum; è quibus tamen intereà quotidie desumuntur principia, quæ non possunt esse nisi malè fundata. Ipse Gratianus se circa hanc materiam alibi meliùs explicavit. *16. q. 1. c. 36, 39. 40.* Hactenus Mabillonius.

N. XIV.

Respondetur ad Authoritatem Panormitani.

CUm Ceteri, qui adducuntur, Doctores unicè probent, Canonicos Regulares vocari Clericos, idque eis non abnuamus, prout superiora responsa testantur, unus adhuc superest Panormitanus, in cujus authoritate mirè sibi etiam Adversarius gratulatur, sed cùm nullo veritatis applausu: allegatum quippe locum in *cap. statuimus de Major. & Obed.* multoties, & nullum non literæ apicem accuratis-

simus lustravi, summámque pro viribus industriam adhibui, ne quid incauto effugeret, nihil tamen reperi, quod textum ejusmodi sapere videretur.

Unde liquidò apparet, quòd non admodùm cautus sit in citando Adversarius: quemadmodùm in libello illo, quem vocat *Unionem Theologicam* &c. etiam patet: ubi prima statim citatio ex Gonetto adducta dubiam Authoris fidem pariter reddidit.

DISSERTATIO II.

De Dignitate Abbatis & Præpositi.

SUMMARIA.

1. *Adversarius triumphum canit ante Victoriam.*
2. *Quid sit Dignitas?*
3. *Quid nominis* Abbas?
4. *Nomen* Abbatis *Benedictini est, & nunquam non fuit* Dignitas in Jure fundata.
5. *Titulus Præpositi Canonicorum Regularium, ne* quoad modum *est majoris* dignitatis, *quàm* Abbatis.
6. *Rationes aliæ convincentes nostrum intentum.*
7. *Titulus Præpositi ex ipsa Regularium Canonicorum praxi minoris videtur esse* Dignitatis, *quàm* Abbatis.
8. *Argumenta Adversarij ex ratione desumpta solvuntur.*
9. *Adversarij rationes dubitandi*: An Abbas sit no-

nomen Dignitatis? *ex textibus Juris antiqui proponuntur.*

10. *Examinantur textus ex Glossa citati.*
11. *Examinatur textus ex Alciato.*
12. *Examinatur Canon* à Subdiacono.
13. *Examinatur allegatio ex Regula adducta.*
14. *Confirmantur hactenus dicta ex Glossa ab Adversario citata.*

N. I.

Adversarius hoc loco triumphum canit ante Victoriam.

OVantem hoc se loco exhibet Adversarius, & triumphum ante victoriam canit: solenniter enim *fol. 142.* Antagonistas, & quasi tubâ in arenam provocat. Et postquam multa de Abbatis nomine ac ratione contemptim, sed improvidus effutijt, *nucem* exinde (ut ipse quidem *fol. 147.* jactabundus ait) *nullo conatu frangendam porrigit*; ac *fol. 144.* in hæc denique verba prorumpit: *Canonici autem Regulares sicuti ex essentia, & per se sunt Clerici, ita eorum Superiores per se, & ex Juris tam antiqui, quàm novi constitutione sunt in dignitate Ecclesiastica constituti, consequenter titulo Abbatis nec possunt, nec debent uti, quia redolet Monachismum, sublimi Canonicorum statu longè inferiorem.*

Si verborum spectemus tenorem, velut cum jugulato jam hoste ludit Adversarius; sed me-

miniſſe prudens debuerat hoſtem, quantulus cúnque ſit, vix impunè contemni.

Cauſæ profectò vix non deſperatæ & virium pariter debilium indicium eſſe, cenſent omnes, ubi plus agitur Sarcaſmis, quàm rationibus: pariat mephitim Adverſario Abbatis *Monachiſmum redolentis* titulus, non ideo decreſcet ſplendor & veneratio, quâ ubique & coram ipſis ſæculi Principibus, velut minoribus Gentium Dijs (ut nil attexam de majoribus Romanæ Eccleſiæ Proceribus) nunquam non floruit.

Verùm, quæ mutatæ ſubitò mentis mira metamorphoſis! nec Protheus tam leviter facies mutatur in omnes, atque Adverſarius in varias pro libitu ſententias. Nuper (in Dedicatoria illa ſua litigiorum horum Genitrice §. dann obwolen ꝛc.) pro titulo Abbatis, ceu debitô ſuis ſuperioribus ad Sudorem uſque pugnat, præfidenter aſſerens: *Præpoſitos Canonicorum Regularium poſſe & debere vocari Abbates.* Hodie in in ſuo ait Commentario *f. cit. titulo Abbatis nec poſſe, nec debere uti* &c. Ante prandium, poſt prandium &c. Nempe victi ad inſtar hoſtis, qui è fuga redux ut cladem celet, *versâ haſtâ*,

Victorem denuo deſperatus aggreditur. Quàm feliciter autem; modô diſpiciamus.

N. II.

N. 11.

Quid sit Dignitas?

VT solidè rem tractemus, necessum est, præmittere loco basis, explicationem circa nomen dignitatis, & rem ipsam hac voce denotatam. Optimam dabit Tamburinus noster, quem pro se toties allegat Adversarius, ac proinde admittet lubens.

Sic ergo *de Jure Ab. To. 1. Disp. 1. q. 2. n. 2. & 3.* de Dignitate in Jure fundata differit: Inter Officium (inquit) & Dignitatem hæc est differentia, quod Officium dicitur habere onus annexum; Dignitas verò ea est, *quæ cum administratione rerum Ecclesiasticarum, & honore jurisdictionem habet. cap. volumus. cap. Diaconus. & cap. quia 99. distinct.* Unde dicitur habere Dignitatem, quando quis habet administrationem rerum Ecclesiasticarum cum Jurisdictione.

Hinc non continuô culmen Dignitatis *in Jure fundatæ* quis conscendit, quando Officium impetrat & quidem honorificum, nisi hoc requisitas simul conditiones involvat: quarum ex defectu ne ipsi quidem Præpositi Ecclesiarum Cathedralium de jure sunt constituti in Dignitate, tametsi reputentur esse in dignitate, ut cum alijs Idem docet, *lo. cit.* De Decanis dicit Barbosa apud P. Engel *lib. 1. tit. 33.* eos de jure communi non habere propriè dictam jurisdictionem, sed sæpiùs ex consuetudine locorum.

Dein (pergit Idem Tamb. lo. cit.) Dicitur etiam habere dignitatem, qui habet nomen dignitatis, & prælationis, ſicut prærogativam in ſua Eccleſia, tam in Choro, quàm in Proceſsionibus, & alijs Comitijs & Seſsionibus, quamvis non habeat adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum, vel juriſdictionem, ut patet in Decanis, & Archidiaconis quàm plurium Cathedralium, & etiam in nonnullis Abbatibus ſæcularibus, nullam adminiſtrationem, vel juriſdictionem habentibus. Tertiò dicitur habere dignitatem, qui ex conſuetudine Eccleſiæ habetur in Dignitate, quia ſi conſuetudo eſt in Eccleſia, pro Dignitate haberi debet; *cap. conſuetudo 12. diſt. Ita Archidiac. in cap. 1. n. 2. num. de conſuetud. in 6.* Porro Dignitas juxta eundem Tamburinum *loc. cit. n. 22.* debet eſſe perpetua; ut ſupponitur in *cap. de multa. de prabend. & in cap. 1. de conſuetud. in 6. & in extravag. execrabilis de præbend.*

Nec tamen, ut Idem *lo. cit. n. 31.* teſtatur, de eſſentia Dignitatis eſt, aut neceſſariò requiritur, ut quis in Officio perpetuus eſſe debeat, ſed ſatis eſt, quòd perpetuus eſſe poſsit; Nam Vicarij Generales Epiſcoporum ſunt ad nutum amovibiles: text. juncta Gloſſ. in *Clement. 2. de Reſcriptis.* Gemin. in *cap. 1. de Offic. Vicar. in 6.* Azor. *inſtit. moral. p. 2. l. 3. c. 45. q. 14.* & communiter Doctores: Et tamen habent Dignitatem, & ſunt in Dignitate conſtituti. Imol. in *Clement. 1. de Regular.* quam ſequitur Pariſ. de *Reſigna benefic.* l. 7. q. 24. n. 79. & communiter omnes.

Hac

Hac explicatione circa nomen, rémque ipsam *Dignitatis* præmissâ, investigemus nunc, quid nominis sit *Abbas?* Dein', An Abbatis, cumprimis Benedictini, Nomen importet *Dignitatem in Jure fundatam*, nec ne?

Prius tamen, quàm hæc præstentur, observes velim, Lector Amice! Adversarium f. 49 ex secunda illa, quam Tamburinus suprà assignat, *Dignitatis* acceptione, evincere mordicus conari: Canonicos Regulares omnes, ob suam, *quâ fulgent*, *Dignitatem*, *esse capaces ad delegationes Sedis Apostolicæ.*

Quamvis me non lateat, Sanctissimum Pontificem, teste P. Engel *lib. 1. tit. 29. n. 11.* nunquam solere (quamvis utique possit) causas alijs personis delegare, quàm in Dignitate ecclesiastica, aut Personatu constitutis, & etiam Cathedralium Ecclesiarum Canonicis &c. Causam tamen hanc ut paucis expediam, & nunquam non liberalissimus sim erga Adversarium, transmiserim gratis hanc ei illationem; Quid autem, si hoc ipsum de Monachis inferam Benedictinis? Quid enim, id ne præstem, ex mente Adversarij obstat? *Habent id* (inquit S. Thomas) *quod est Canonicorum Regularium, sed cum majori arctitudine.*

N. III.

Quid nominis sit Abbas?

NOmen *Abbas* (inquit Caramuel in Theologia Regulari *parte 9. n. 2250.*) est Nomen DEI: non enim in propria sua signoificatione alium Patrem significat, quàm illum, quem nos jubet invocare Christus, dicendo: *Pater noster, qui es in Cœlis* &c. Unde in Missa concinimus: *præceptis salutaribus moniti, & Divina Institutione formati, audemus dicere: Pater noster &c.* Quod ipsum faciebat Apostolus, & à nobis fieri desiderat, dicens: *accepistis spiritum adoptionis, in quô clamamus Abba pater* &c. Et in epistola ad Ephes. 3. *v. 15.* affirmat omnem à DEO in Cœlis & in terris paternitatem denominari.

Unde opportunè interrogas (pergit Caramuel) an hoc nomen *Abbas* homini attribui possit?

Negat D. Hieronymus; illos, qui volunt dici Abbates, incriminans; inquit enim: cùm autem Abba hebræo sermone, syrióque dicatur: & Dominus Noster in Evangelio præcipiat, nullum Patrem vocandum, nisi DEUM; nescio, quâ licentiâ in Monasterijs vel vocemus hoc nomine alios, vel vocari nos, acquiescamus.

At, Sanctissimus Legifer noster Benedictus aliter cum alijs sentit, in Regulæ c. 2. asserens: *Abbas, qui præesse dignus est Monasterio,*

sterio, semper meminisse debet, quod dicitur, & nomen Majoris factis implere: Christi enim agere vices in Monasterio creditur, quando ipsius vocatur prænomine, dicente Apostolo: accepistis Spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba, Pater &c. Ecce Monasterij Antistes, qui græcè ἀρχιμανδρίτης dicitur, ex hebræo, & syro nomine Abbas à S. Benedicto vocatur.

His omnibus consideratis, concludit demum Caramuel: Nomen *Abbas* respectu DEI, & hominum esse analogum: DEO enim omnium rerum Creatori, & hominum Sanctificatori & Glorificatori convenit primariò; Archimandritis verò secundariò, & per participationem: quia Abbas, ut S. Benedictus dicebat, Domini nostri Jesu Christi in Monasterio vices agit. Ex quibus Colligas, quàm temerè Adversarius Nomen Abbatis deprimere sit conatus; ut infrà videbimus.

N. IV.

Nomen Abbatis Benedictini est, & nunquam non fuit Dignitas *in lure fundata.*

IN hujus Conclusionis asserendam fidem primò sic argumentor; Ratio dignitatis juxta positam priori *numero* explicationem tria hæc involuit: *Administrationem bonorum Ecclesiasticorum, Jurisdictionem in subditos, & quandam honoris prærogativam*; sed hæc omnia *vi*

Regulæ

Regulæ ſemper habuit, poſsedítque Benedictinus Abbas: ergo. Minoris (cùm certiſsima major ſit) prima duo membra circa *Adminiſtrationem* &c. & *juriſdictionem* in dubium vocare nemo poteſt, cùm juxta quotidianam & perpetuam praxin cujuslibet Monaſterij Abbas circa bona diſpoſuerit, ac etiamnum diſponat eâ libertate, & poteſtatis plenitudine, quâ ipſi Canonicorum Regularium Præpoſiti. Deinde, *vi Regulæ* Abbates noſtri jus, poteſtatémque ſemper exercuerunt in ſubditorum ſibi Monachorum gubernatione; id, quod vis, quâ pollent excommunicandi Suos, abundè declarat.

Tertium verò membrum (de quo ſolo Adverſarius dubitare videtur) ſic probo: Si honor, qualis ad Dignitatem in jure fundatam requiritur, de eſſet Noſtris, tunc hac de cauſa, quia ejuſmodi honor fundatur in Clericatu, quô Benedictini Monachi, eorúmque Abbates ex mente Adverſarij ſunt deſtituti: ſed à nobis jam in priori diſſertatione oſtenſum fuit, quòd Clericatus *per ſe* competat Noſtris: Nullus verò unquam omni hactenus ætate Benedictinus Abbas extitit, Clericatu non ornatus, & nullo unquam tempore, omnes licèt Ordinis noſtri Faſtos evolvat Adverſarius, ullum ejuſmodi extitiſſe Abbatem deprehendet, ergo certium quoque Dignitatis requiſitum apud Noſtros invenitur, & perpetuus ille, qualem in Dignitate Eccleſiaſtica requiras, Honor fulgere.

Por-

Porrò: *Vi Regulæ Presbyteri* jubentur *post Abbatem ſtare*: ergo Abbas juxta mentem ipſius Legislatoris in majori ſaltem eſt Dignitate conſtitutus, quàm Presbyter quivis ſimplex: ergo major ei debetur honor; & conſequenter Abbas Benedictinus *vi Regulæ*, ac ſecundùm ſe eſt, & nunquam non fuit in Dignitate.

Verùm, ſatìs Adverſario non erat, Dignitatem Abbatis, quoad poterat, reddere dubiam: ſed ipſum adeò titulum Præpoſiti ſupra titulum Abbatis elevare (quod vehementer mirêre) omni niſu conatur.

N. V.

Titulus Præpoſiti Canonicorum Regularium ne quoad modum *eſt majoris* Dignitatis, *quàm Abbatis.*

NE inutilibus, & huc impertinentibus quæſtionibus, argumentíſque præſentem implicemus titulum, volumus ea, de quibus inter nos convenit, præmittere: ut ſic certa ab incertis ſegregando, pulchriori & ſolidiori inde methodo procedamus.

Igitur juxta ipſum Adverſarium *fol. 148.* quæſtio tantùm procedit de Abbatibus Monachorum, & Præpoſitis Canonicorum Regularium, quorum uterque hodie fulget Dignitate Eccleſiaſticâ.

Fatetur porrò ibidem Adverſarius; titu-

ſum

lum Præpoſiti Canonicorum Regularium quoad Juriſdictionem, & Adminiſtrationem non eſſe majoris dignitatis titulô Abbatis: benè tamen *quoad modum habendi adminiſtrationem Eccleſiaſticam*: eò quòd hæc eſſentialiter in Clericatu fundata, competat Monachis, eorúmque Abbatibus tantùm *per accidens*, *diſpenſativè*, & *ex Privilegio*; Canonicis verò Regularibus, eorúmque Præpoſitis *per ſe*, & *ex eſſentia*.

Itaque ex ipſius Adverſarij mente cardo quæſtionis tantùm in eo verſatur: *An titulus Præpoſiti ſaltem quoad modum habendi Adminiſtrationem Eccleſiaſticam ſit majoris Dignitatis, quàm titulus Abbatis?*

Et reſolvimus Nos Negativè.

Oſtendi hoc à nobis meliùs non poterit, quàm ſi Ipſius Adverſarij baſin, cui unicè, & opinione ſua tam firmiter innititur, jam ſuperiùs everſam eſſe demonſtremus. Baſis ipſius in eo conſiſtit, quòd ſicut non competat Monachis, ita nec Abbatibus Benedictinis *per ſe* Clericatus, atque in Clericatu proinde nequeat fundari eorum *modus habendi adminiſtrationem Eccleſiaſticam*; quemadmodùm è diverſo in Clericatu fundatur *modus* habendi adminiſtrationem Eccleſiaſticam apud Canonicorum Regularium Præpoſitos, utpote, quibus (ſicut ille ſupponit) *per ſe* Clericatus competat.

A nobis autem jam ſuperiùs, ac ex ipſa quidem Regula luculenter probatum fuit, quòd Religioni Benedictinæ Clericatus etiam

per

per se competat: ergo Abbatum Benedictinorum titulus & *modus habendi administrationem Ecclesiasticam* fundatur in Clericatu æquè, ac Præpositorum titulus & *modus* &c.

Positô hoc ex parte nastra fundamentô, ejusdem Argumenti, quô Adversarius *fol. 144.* usus est, fulcrô noffram confirmamus sententiam. Ut intentum probet ille, sic argumentatur: *Canonici Regulares sicuti ex essentiâ & per se sunt Clerici, ita eorum Superiores per se & ex Iuris tam antiqui, quàm novi constitutione sunt in dignitate Ecclesiasticâ constituti* &c.

Unde ego legitimè infero: ergo, sicuti Monachi Benedictini sunt Clerici *per se & ex essentia sua, ita eorum quoque Superiores* (Abbates scilicet) *erunt per se, & ex Iuris tam antiqui, quàm novi constitutione in Dignitate Ecclesiastica constituti* æquè, ac longè magis, quàm Canonicorum Regularium.

N. VI.

Rationes aliæ nostrum convincentes intentum.

SUblatâ, quâ Adversarius nitebatur, basi, aliâ insuper producimus, quibus Abbatum nostrorum evincimus Clericatum, argumenta: è quibus efficacissimum planè suggerit ipsa Regula nostra, è cujus textu, qui habetur *c. 60.* ita disserο: Vi hujus Regulæ, & jussu

jussu Sancti Patris nostri Presbyteri tenentur stare post Abbatem, ergo nequit esse Abbas laicus; aliàs Divus Legifer manifestè peccasset in jura Sacra, secundùm quæ ab ipso Adversario citata Abbas merè laicus (si detur scilicet) inferior est quocunque Clerico.

Quis verò nisi temerarius Glorioſissimo Patriarchæ toties cœlitus & mirificè semper illustrato, hunc regali Sacerdotio, & Ordini Sacratissimo injurium errorem impingat? aut, quis sincerè Christianus somniet, à Magno Gregorio, cujus divinam propè sapientiam Græca etiam Ecclesia suspicit, & veneratur, nævum adeò palpabilem, neque notandum, neque corrigendum fuisse, quando vivæ vocis Oraculô, & Apostolicâ Authoritate suâ Divi Benedicti Regulam approbavit, confirmavítque?

Tertium depromo ex lâto, & supra jam memorato Syricij Papæ Decreto, unde hunc eruo Syllogismum: Ubi vi Decreti Pontificij inter Subditos Monachos existere debent aliqui saltem Clerici, ibi vi ejusdem Decreti & jure saltem arguitivo longè magis oportet ejusmodi Monachorum Superiorem sive Abbatem esse Clericum; Secus nulla, qualis tamen esse debuit, vera & fundamentalis Capitis præeminentia fuisset (utpotè, quod in unico ac præciputo titulo, nempè Clericatu, veram, genuinam & substantialem in Jure Dignitatem fundante, aliquibus saltem membris inferius extitisset) atqui in Ordine Benedictino, utpote in Monachismo

nachiſmo per Clericatum jam elevato, in eodémque nato, vi Syriciani Decreti, ſemper debuerunt ſaltem aliqui exiſtere Clerici inter Monachos, ergo longè magìs & à fortiori eorundem Superior & Abbas debuit eſſe Clericus: ergo nunquam potuit eſſe Non-Clericus.

Quartum deſumo argumentum ex ipſo rurſus Adverſario, conſtanter negante, *antiquo* etiam Jure Abbatiali Benedictinorum Dignitati Clericatum *per ſe* annexum, atque in hoc eorundem Adminiſtrationem Eccleſiaſticam fundatam fuiſſe; ſic enim diſcurro: Si Jure antiquo Abbatibus Benedictinis Clericatus non fuit *per ſe* competens, ergo tantùm *per accidens*, ergo adminiſtratio eorundem Eccleſiaſtica *per accidens* annexa fuit Clericatui. Sed, quod *per accidens* connexum eſt, non *ſemper* connexum eſt: (cùm in hoc diſcrimen connexionis *per ſe*, & *per accidens* conſiſtat) ergo ſi Clericatus Adminiſtrationi Eccleſiaſticæ Benedictinorum Abbatum non fuit *per ſe* annexus, etiam non fuit *ſemper* annexus: atqui fuit *ſemper* annexus, ergo fuit *per ſe* annexus; ergo Abbates Benedictini Dignitatis ſuæ titulum fundant in Clericatu, uti ſuum Præpoſiti Canonicorum Regularium.

Subſumptum ultimum (quòd ſcilicet Clericatus *ſemper* fuerit annexus Abbatum noſtrorum titulo, ſive, quòd omnes Abbates Benedictini *ſemper* fuerint Clerici) ita jam probavit notiſsimus Adverſario Antagoniſta, & Benedictinæ gloriæ Vindex, ut dubitare pruden-

ter nequeam, Adversarium in hoc manus dedisse, *tacitè* saltem & *dissimulanter*. Provocatus enim, ut unum saltem assignaret è Benedictinis Abbatem, qui Clericus non fuisset, nullum produxit, licèt & ad indagandum otium illi, tempúsque amplissimum suppetebat, & à mille ducentis ferè Annis tantus utique Abbatum Syllabus fuerit, accuratô dignus scrutiniô, & solertiori labore, cui forsan Adversarius non pepercerit; sed postquam in nullum incidere potuit, qualem expectarat, dissimulare meritò debuit, quod probare non poterat.

N. VII.

Titulus Præpositi ex ipsa Regularium Canonicorum praxi & Regula minoris videtur esse dignitatis, *quàm Abbatis.*

ASsertô hactenus Abbatum Benedictinorum Clericatu, ad illustrandam tantisper conclusionem nostram, disquiramus pauculis, num Præpositi titulus (inspectâ ipsâ Canonicorum Regularium praxi & Regula) ejusdem sit Dignitatis, cum Abbatis titulô?

Videtur planè verisimile, quòd minoris sit dignitatis: quia in solemni illo Inaugurationis ritu non in *Præpositos* (utpote quales subinde priùs jam erant) sed in *Abbates* consecrantur; certè Mater Ecclesia Præpositi nomen præ

titulo

titulo Abbatis usurparet in ejuscemodi actu, si id majorem post se traheret dignitatem: Interea ante consecrationem nec à Domesticis, nec ab exteris Abbatis titulô honorantur Canonicorum Regularium Superiores; Absolutâ porrò consecratione quasi nudum Præpositi nomen jam displiceret, aut non sufficeret, plerumque illud Abbatis titulô augent.

Quod ipsum, ut Patronum suum (Reverendissimum DD. Abbatem N.) magìs honoraret, observavit Adversarius, dum in dedicatoriâ Concionis suæ *Abbatis* eidem titulum inscripsit; sui itaque planè oblitus est, dum in hoc ipso opere *fol. 144.* quasi è superiori loco perorans, asseruit: *Canonicos Regulares titulo Abbatis nec posse, nec debere uti, quia redolet Monachismum, sublimi Canonicorum statu longè inferiorem*: ut supra notavimus.

Mihi, ut ingenuè fatear, *Abbatis* titulus nullo prorsus arrideret modô: si quocunque demum ex prædicato titulus *Præpositi* præstaret.

Porro, titulum Præpositi minoris esse Dignitatis, quàm Abbatis, ex ipsa S. Augustini Regula manifestè deducitur, in qua S. Pater Præpositum postponit Presbytero, eique subjicit, quando *c. 9.* ita loquitur: *Præposito tanquam Patri obediatur, multò magis Presbytero, qui omnium vestrûm curam gerit.* Et mox: *Ad Præpositum pertinebit, ut ad Presbyterum, cujus est apud vos major auctoritas, referat, quod modum, vel vires ejus excedit.* Ex

quibus apparet, Præpositum esse secundam personam, & Presbyterum primam.

Aliter Sanctissimus Legifer noster de suis Abbatibus, quibus Presbyteri postponuntur, jubentúrque *post Abbatem stare.*

Est & aliud præterea, quod ex illo Regulæ Augustinianæ cortice, eruo, pro causa nostra, non leve argumentum: *Superiores nimirum Canonicorum Regularium nullatenus in Dignitate Ecclesiastica esse constitutos*; ut contendit Adversarius *cit. f. 144.* quando nempe ipsis vi suæ regulæ simplices præponuntur Presbyteri. Non equidem me latet, ex mente Adversarij *f. 174.* per Presbyterum intelligendum ibi Superiorem illum, qui in Religiosos eum præeminentia habet potestatem & jurisdictionem ordinariam tam fori interni, quàm externi; per Præpositum verò Superiorem manualem, seu ad nutum amovibilem, habentem potestatem tantùm delegatam, & à Presbyteri voluntate dependentem. Quàm torta autem hæc sit interpretatio, constabit facillimè legenti ipsa Adversarij verba formalia. Torqueat interea, utut velit Adversarius, consensum tamen extorquere nequibit ab Hæfteno nostro, Mabillonio, alijsque Authoribus gravissimis; nec eam, quam vellet, fidem ei deberi, palam ego affirmo.

N. VIII.

N. VIII.

Argumenta Adversarij ex ratione deprompta solvuntur.

AUdiamus nunc dissérentem pro se Adversarium: primus, quem contra nos formatmat, Syllogismus est iste: *Illa dicuntur per accidens concurrere, quæ possunt abesse, & adesse sinè corruptione subjecti; atqui Clericatus potest abesse, & abfuit in Abbatibus antiquis, uti tum ex citatis textibus juris, tum ex S. Benedicto, & aliis manifestum est, ergo tam Clericatus, quàm dignitas est titulo Abbatis merè per accidens.*

En! nucem, in cujus robore sic confidebat Adversarius, ut *fol.* 147. exclamaret: *frange hanc nucem, si potes!* Omnino possumus, & levi quidem brachio, & unicâ frangere distinctiunculâ possumus.

Admissâ enim *Majore*, distinguimus *minorem*: Clericatus potest abesse, & abfuit in Antiquis Abbatibus *Benedictinis*; Nego: *fortè* in alijs ante tempora Benedicti, de quibus hîc non disceptamus: transeat. Dixi imprimis transeat alterum membrum: Magnus quippe Basilius Monachos suos nuncupavit *Canonicos*; ut supra notavi: ergo horum Superiores Clericos fuisse, dubitari à prudente nequit ex ipsius Adversarij supra allegata ratiocinatione.

Illud porrò membrum, in quo ipse Benedictus pro Exemplo Abbatis non-Clerici adduci-

ducitur, penitus rejicio; nec mirari satis possum incautam Adversarij libertatem, quâ audacter asserit, quidquid collubescit, aut in rem servire videtur, parùm solicitus, num ex eodem, quem pro se citat, Authore confutari luculenter possit; sinè dubio scire poterat, aut debuerat, quòd idem ipse Angelus de Nuce, quem adducit, quando probat, Benedictum non fuisse Sacerdotem, Idem (inquam) pulcherrimè ostendat, Benedictum Diaconum fuisse.

Hoc ex ipsius etiam vitâ dilucidè comprobatur; in quâ à S. Gregor. Mag. *c. 23.* refertur, à Divo Benedicto Moniales in vita excommunicatas, & subinde mortuas, sub Officij Divini Celebratione, eô, quô jubebantur à Diacono exire excommunicati, tempore solitas etiam fuisse egredi, nec priùs quievisse, donec à S. Patre solenniter iterum absolverentur. Et tam Sacra, tam sublimis & veneranda Potestas nunquid homini merè laico, & nullatenus Clerico competebat?

Hoc dum scribo, opportunè succurrit & illud: si Abbates Benedictini non fuissent Clerici, quô pacto, quóve Jure poterant Sacerdotes Monachos sibi snbditos excommunicationis ligare vinculo, ac illius exercere potestatem Ordinis, quem nunquam acceperant?

At video, nondum exhaustus est Adversarius, aliam iterum nucem porrigit, priori tamen per omnia simillimam, ac nisu pariter desultoriô frangendam: *Quod* (inquit) *aliquando*

do, aliter fuit, & iterum se aliter habere potest, tametsi hodie aliter sit, illud non est hodie essentiale, sed tantùm accidentale, & in sensu specificativo, sed Abbatum Monasticorum status, etsi hodie ex Decreto Pontificio sit Clericalis, fuit tamen aliquando non-Clericalis, poteritq; ex alio decreto fieri non-Clericalis &c.

Iterum Transmitto *majorem*; at *minorem* ut priùs distinguo: Sed Abbatum Monasticorum *Benedictinorum* status, etsi hodie ex decreto Pontificio sit Clericalis, fuit tamen aliquando non-clericalis, poterítque ex alio decreto fieri non-Clericalis &c. Nego: quorumcumque demum aliorum forsan ante tempora Benedicti, transeat. Dico igitur, Statum Monastico-Benedictinum nunquam fuisse non-Clericalem; & sicut per nullum Decretum Pontificium, sed per ipsam *Regulam*, & ex *Ortu* suo, ac origine est, & hactenus fuit *Clericalis*, ita nec per ullum Decretum Pontificium fieri posse *non-Clericalem*, nî velit Pontifex illum quoad substantialia sublatum, ipsámque, quam alij hactenus Pontifices approbârunt, Regulam omninò eversam, & reprobatam. Hoc autem ubi eveniret, forémtne ejusmodi tum Monachi *genuini Benedictinæ Regulæ filij, & Alumni?*

At urget tertiò Adversarius, & instat hoc dilemmate: *vel Abbates ante tempora S. Benedicti, (ut Antonius Magnus) fuerunt veri Abbates, vel non? si primum dicas, habemus intentum: si secundum, contradicis sensui Eccle-*

sic, Antonium Magnum inter Abbates celebrantis.

Neque hoc telô vulneravit Adversarius causam nostram: damus enim, Antonium & alios fuisse Abbates, & veros quidem; sed accipi nomen Abbatis debet per *ampliationem & extensionem.* Ne porrò asserere gratis hæc, & necessitate sententiæ videar, illustro idipsum exemplô Fulvij Paciani Mutinensis Comit. D. & Equit. qui in suo *Tractatu practicabili de Probationibus lib. 2. c. 27. n. 86.* ait: *Priores & Præpositos, quorum Dignitas electiva est, nec Abbatem nec Superiorem recognoscunt, per ampliationem Abbates dici posse.*

N. IX.

Adversarij rationes dubitandi: ex textibus Iuris antiqui desumptæ, proponuntur.

ETsi hâc ætate in dubium revocare nemo prudens amplius soleat, an nomen Abbatis importet *Dignitatem?* cùm hoc nomine nullus gaudeat, nisi constitutus in Dignitate Ecclesiastica, quæ, ut suprà notatum, *cum administratione rerum Ecclesiasticarum, & honore jurisdictionem habet.* Adversarius tamen *fol. 140.* ex novandarum rerum studio, ac libidine cavillandi, deprimendíque nomen Abbatis, rationes quasdam dubitandi reperisse se arbitratur in antiqui Juris mendosis & corruptis

ptis textibus, queîs rudioribus, & in diſquirendis ejuſmodi fragmentis vel negligentibus, vel imperitis perſuadere conatur, nomen Abbatis non *dignitatis*, ſed *meræ* eſſe *ſolicitudinis*.

Adducit igitur textus ex Gloſſa *in cap. Tuam in V. non aſcendant. de ætat. & qualit.* Et in *Can. accedens. in* V. *Abbatem diſt. 50.* ubi apertè dicitur (inquit ipſe) nomen Abbatis eſſe titulum ſolicitudinis, & Officij, non Dignitatis: Item eſſe nomen ſolicitudinis, non Ordinis. Quamobrem (pergit ibidem) laicus id eſt, ſimplex Monachus, poterat eſſe Abbas, ut dicitur de S. Benedicto, & de S. Equitio, apud S. Gregorium *lib. 1. Dialog. cap. 4.*

Id ipſum confirmat ex Alciato, in l. *Collegiorum. de verb. Signif.* ubi ait: nomen Abbatis competere cuilibet etiam artium vilium Magiſtro.

Et ex *93. diſt. can. à Subdiacono* &c. Tandem ex ipſa Regula S. Benedicti colligi, ait, Abbates non debere eſſe Sacerdotes.

Revocemus ad incudem ſingula, & quod ijsdem robur ſit, atque fides argumentantis, ſedulò diſcutiamus.

N. X.

Examinantur textus ex Gloſſa citati.

VT ſinceri Defenſoris numeros impleam, integros omninò, nec corruptos, vel in ullo apice, ſed genuinos Gloſſæ textus,

& ut formalia ipſa ſonant, oculis hîc ſubjicio. In citatum igitur cap. *Tuam*, ita loquitur Gloſſa: *Nomen Abbatis potius eſt ſolicitudinis, quàm Ordinis, vel honoris.* Et in Can. *accedens* ait: *Abbas eſt potius nomen officij, quàm Dignitatis.*

Et hæc Gloſſa quidem; Adverſarius autem ſic: Nomen Abbatis eſt ſolicitudinis, *non* Dignitatis, *non* Ordinis. Et fol. 141. addit, ex Gloſſa colligi, nomen Abbatis eſſe *meræ* ſolicitudinis.

En amice Lector! quàm manifeſtè pugnent inter duo hæc: Nomen Abbatis eſt *potius* ſolicitudinis; &: Nomen Abbatis eſt *meræ* ſolicitudinis. Deinde, Abbas eſt *potius* nomen Officij, quàm Dignitatis; &: Abbas eſt nomen Officij, *non* Dignitatis.

Si quis Gloſſam, Adverſariúmque comparans, dixiſſet: Eum eſſe *potius* ſolertem, quàm veracem; ac deindè iſtius verba ego referens, aſſererem: Eum eſſe ſolertem, *non* veracem. Aut, dicente alio: Adverſarij Tractatum eſſe *potius* ſolertiæ, quàm veracitatis; atque iterum ego, ex alterius quaſi ore pronuntiarem: Adverſarij tractatum eſſe *meræ* ſolertiæ, *non* veracitatis. Per Deum immortalem! quàm meritò ſuccenſeret mihi Adverſarius, & quàm juſtè objiceret, nec religioſam mihi fidem, ac mentem candidam, nec linguam veracem eſſe. Enimverò particula *potius* denotat exceſſum comparativum, &, dum in uno plus tribuit, in altero totum non auffert, ſed

minus

minus tantùm esse dicit hoc, in comparatione alterius. Particula verò *Non*, secundùm ipsos adeò Summulistas, est malignantis naturæ, & quidquid post se invenit, negat totum, totum auffert. Non igitur negat Abbatibus *Dignitatem* Glossa, sed in comparatione solicitudinis, ac grandium, qui eam, velut umbra Lucem, consequuntur, laborum, minorem omnino his esse affirmat: Id quàm verum sit, experiuntur illi, qui suos tanto oneri humeros subtrahere non rarò compelluntur.

Eâdem interea fidelitate immediatè sequentem (non tam commodè forsan vitiabilem) Glossam dissimulavit Adversarius, utpote quæ pro nostra causa tam luculenter concludit, ut vix luculentiùs posset: juxta Illam enim Glossam *loco cit.* Laici poterant quidem esse Abbates, sed *dispensativè* tantùm: ergo regulariter Abbates debebant esse Clerici juxta hanc Glossam, ergo etiam secundùm *jus antiquum*; aliàs laici, qui *in casu necessitatis tantùm* (sunt formalia Glossæ verba) poterant esse Abbates, dispensatione non indiguissent.

N. XI.

Examinatur textus ex Alciato.

ALciatus *loc. cit.* refert: *in multis locis Consules, seu Priores artium appellari Abbates.* Ridicula sanè objectio; quasi ve-

ro

rò non eſſet quotidianus aliarum etiam vocum abuſus, vel analogica uſurpatio: ſic pictus & verus homo obtinet nomen hominis, & de exanimi Cæſaris aut Regis imagine pronuntiari ſolent ea, quæ ipſi repræſentato conveniunt: ignoſcendum eſt haud dubiè *ſimilitudini*, quæ, dum gradus ac generis diverſi res frequenter comparat, ac eodem non rarò vocabulô denotat, plerumque *claudicat*: unde non eſt, cur tam claudicans argumentum nos multùm detineat: In ipſa ſacrâ Pagina Deorum nomen hominibus attribuitur, & quis tam intempeſtivi hactenus genij fuit inter Chriſtianos Doctores, cui prudens hinc dubium incideret, quid *nominis*, quid *rei* vox *Deus* ſit? Accedit huc, quòd Alciatus hoc loco Hiſtorici munus ſubeat, & ſolummodò referat, hanc in locis nonnullis conſuetudinem vigere. Aliud foret, ſi ſcholaſticô rem rigore trutinâſſet, & pronuntiaſſet exinde, iſtorum farinæ hominum aliquô Juris titulô deberi nomen Abbatis, de quo inter nos præſens eſt controverſia; hinc obiter tantùm inſimuo tam parum ex hoc Alciati textu probari, quàm parum probaretur, ſi ex eo, quòd Præpoſiti nomen (vulgò Pröbſt) Teloniorum Præfectis aut inferioris etiam notæ hominibus in nonnullis pariter locis attribuatur, quis inferret: ergo Præpoſiti nomen nullam *per ſe* unquam, de quali jura tractant, Dignitatem importat.

Quamvis hæc illatio confirmari poſſet ex ipſo Adverſario, concedente, Præpoſiti nomen

men ſecundùm ſe acceptum non importare dignitatem. Quod & Tamburinus ab Adverſario hîc citatus, *Tom. 1. de jure Ab. D. 1. q. 2. n. 20.* pluribus oſtendit, aſſerítque: *Præpoſituras quaſdam nedum eſſe dignitates, imò nec beneficia Eccleſiaſtica, ſed eſſe tantùm ſimplices adminiſtrationes temporales, nihil ſpiritualitatis habentes, prout Rotta reſolvit.*

Ridiculum igitur non modò, ſed à ſinceritate iterum etiam Religiosâ (quam tamen hominibus Deo ſacratis cordi eſſe imprimis oportet) alienum eſt argumentum; dixerat Alciatus: *Conſules & Priores artium appellari Abbates.* Adverſarius verò: *cuilibet etiam artium vilium Magiſtro* competere nomen Abbatis: dicit; & ſic pro ſui Majeſtate Calami pleraque exaggerat: majore ſpecie tamen, quàm plauſu & fundamento veritatis.

N. XII.

Examinatur Canon à Subdiacono.

TExtum hunc veluti palmarem crebrò, & ad nauſeam uſque inculcat Adverſarius, perſuadétque ſibi, ſe hoc velut ictu decretoriò hoſtem confeciſſe. Sequamur nos iterum Poëtæ monitum; &, quia

Puriùs ex ipſo fonte bibuntur aquæ;

Inſpiciamus non Canonem modò, ſed qualificativam ejuſdem Notam, utpote ex qua de-

cidi

cidi ultimatò debet, genuinus utrùm Canon, & quæ authoritas ejusdem? Ipse Canon itaque sic habet:

A Subdiacono usque ad lectores omnes subditi sint Diacono Cardinali Urbis Romæ, in Ecclesia repræsentantes ei honorem. Porrò Pontifici Presbyter &c. Exorcistæ Lector, Lectori Ostiarius, Ostiario Abbas, Abbati Monachus in omni loco repræsentet obsequium &c. Clarus sanè, sed vitiosus æquè textus. Audi quid ad eum Notæ censoriæ ad marginem in ipso Jure Canonico positæ: *Caput hoc* (inquiunt) *& apud Gratianum, & in ipsius etiam Synodi editionibus videri valdè mendosum.* Imò expressissimis ibi verbis additur: *De Abbate, & Monacho in Synodi editionibus nullam mentionem esse.*

Vitiosa Canonis hujus auxesis non effugit industriam vigilantissimi Mabillonij nostri, solerter advertentis, verba illa: *de Abbate, & Monacho*: addita esse à Gratiano; & *nec Abbatis, nec Monachi factam esse mentionem in Concilio, ex quo hoc decretum desumptum est.* Quin & hoc, quòd Adversarij textum penitùs enervat, insuper ait: *affirmare audeo, esse impossibile, ut tunc mentio fieret, hoc est, anno 324. quô hoc Concilium celebratum est; siquidem tunc temporis necdum erant Communitates Monachorum, & consequenter nec Abbates in Urbe Roma, pro qua iste expressè factus est: & fortè in toto Occidente nulla adhuc erat; siquidem Ordo Monasticus non nisi in Oriente incepit, qui est illius origo, & incunabula.* Hæc vir in Con-

cilijs

cilijs verſatiſsimus. Quæ confirmat Author Anonymus *Epitomes Hiſtoriæ Ordinis S. Bened. lib. 1. c. 3. num. 1.* ita de allegato Canone diſſerens: *nam præterquam quòd in Concilio, ex quo ille Canon tranſcriptus, ea nomina non occurant, Eruditi jam pridem illius Concilij fidem expioſerunt.* Quid igitur nobis deinceps negotij cum *ſuppoſititiô* textûs fragmento? quod, priusquam legitimetur, nec vim, nec locum habet apud Litteratos.

Verùm, quid ſi verba illa Canoni propria, cogenita & ipſius Synodi oraculô fuſa eſſent? foretnè adhuc via nobis & modus reſponſionis? Omnino. Nam juxta ea, quæ hactenùs ex Jure adduximus, & iſte & ſimiles textus loqui de alijs nequeunt Abbatibus, quàm de *laicis*: Et in hoc nobis pulcherrimè ſuffragatur ipſa Gloſſa, quando in eundem Can. teſtatur: *Conſtitutiones illas loqui ſecundùm ea tempora, cùm Monachi non erant Clerici.* Hem! quàm limpidæ eruuntur Veritatis venæ, ſi ad ipſos, qui à longè aliàs duntaxat monſtrantur, perfodiatur fontes!

N. XIII.

Examinatur allegatio ex Regula *adducta.*

TOedet fere cum tam frequentibus allegationum figmentis ultra depugnare: Nam linceis quamvis Regulam oculis perluſtrem, ne veſtigium quidem deprehendo, unde

(quem

(quemadmodùm asseverat Adversarius) *colligi possit, Abbates non debere esse Sacerdotes.* Pro tam luculenti Corollarij prudenti assertione cur non *caput*, cur non *verba formalia*, cur non ipsum denique *locum*, recepto inter Eruditos more, assignavit?

In altero quidem, ubi subdit: *Quamobrem Laicus, id est, simplex Monachus, poterat esse Abbas, ut dicitur de sancto Benedicto, & de S. Equitio apud Sanct. Gregorium lib. 1. Dialog. c. 4.* allegavit locum; sed in spatijs, credo, imaginarijs, & ad græcas forsan Calendas (cujus Gentis nota ubique fides) invenire illa erit: quæ Magno ipse Gregorio temerarius attribuit de S. Benedicto.

Ego verò ostendam Adversario locum in Jure, ubi per Glossam apertè satis insinuatur, quid in præsentis quæstionis articulo de ipsa Divi Benedicti Regula sentiendum? In Can. *sunt nonnulli 16. q. 1.* V. *Benedictus* Glossa ait: *quod omnia, quæ non prohibuit S. Benedictus, sunt concessa Monachis.* At ubi prohibuit Benedictus Abbatibus suis, ne Sacerdotes fierent? Nulla ergo *dispensatione* opus est, ubi nulla prohibitio præcesserit.

N. XIV.

Confirmantur hactenus dicta

ex Glossâ ab Adversario citatâ.

Hæc in *cap. 1. de ætate, & qualit. §. Præpositi* illimitatè asseverat: *Præpositus est Digni-*

Dignitas per se. Hæsi nonnihil (fateor) primo aspectu textûs adeo clari; sed ut liquidissimò mihi constaret, quis sensus, quæ ratio, quis effectus sit, ipsum iterum adivi fontem Capituli, unde purior in me veritas derivaretur; nec sterilis labor fuit, vix Capitulum oculis subjeci, adverti illicò, hoc meæ Defensioni telum servire. Capitulum ita sonat: *Ut Abbates, Decani, & Præpositi, qui presbyteri non sunt, Presbyteri fiant.*

Et de his utique Præpositis Glossa loquitur. Jam sic argumentor: vel nomine horum Præpositorum intelliguntur Superiores Canonicorum Regularium, vel non? si posterius; in favorem Adversarij nil probat Glossa, sed ab eodem perperam adhibetur. Si prius dicatur? infero plura, quæ vehementer pungent Adversarium; Nam deduco primò: ergo Abbates, qui juxta Adversarium vi *Capituli* (sed *mendosi*) Ostiarijs postponebantur, hîc verò ipsis jam Præpositis, ac vi quidem *Capituli nullatenus suspecti*, præponuntur, ijsdem digniores sunt. Secundò, ergo Præpositi Canonicorum Regularium de *jure antiquo* non sunt, & per consequens, non *per se*, sed *dispensativè*, *per accidens*, & *jure tantùm novo*, Presbyteri. Tertiò, ergo, quia Præpositi nomen est Dignitas *per se*, longè magis Abbas, qui vi hujus ab Adversario citati Juris, præcedentias juxta Adversarium *vocabulorum ordine* disponentis, Præpositum antecedit, nomen dignitati, *per se*, & non officium solicitudinis

tantùm, sed etiam *honoris* erit.

Hæc igitur quisquis accuratè perpenderit, desinet mirari, cur à nonnullis Canonicorum Regularium Superioribus (velut nuper à Burano, & VVengensi) cum ingenti plausu excepta fuerit impetrata ex Urbe licentia, ut nunc demum in *Abbates* consecrarentur.

PARS III.

De

Scientia,

Secundô ad Ordinem Hierarchicum Requisitô.

DISSERTATIO I.

An Scientia, *ad Hierarchicum Ordinem requisita, floreat in Religione Benedictinâ?*

SUMMARIA.

1. *Quid sit* Scientia, *alterum Hierarchici Ordinis requisitum?*
2. *Hæc* Scientia *datur in Ordine Benedictino.*
3. *In S.mo Patre* Scienter nescio, & sapienter indocto.
4. *In Regula per varias Religiones propagata.*
5. *In Albo Sanctorum, & Pontificum &c. syllabo.*
6. *In Ecclesiæ Doctoribus, & celebrioribus Asiæseos Magistris.*
7. *In Joanne Gersene aurei de* Imitatione Christi *libelli* Authore.
8. *Posthuma Reverendissimi DD. Georgij Geisseri Abbatis Villingani testimonia pro Gersenio.*

9. *Prolixior Relatio Controverſiæ circa Authorem libelli de Imitatione Chriſti &c.*
10. *Corollarium ex recenſita hactenus Relatione.*

N. I.

Quid ſit Scientia, *alterum Hierarchici Ordinis requiſitum?*

INter Hierarchici Ordinis requiſita ſecundum obtinet locum *Scientia*: Non autem hîc ſermo nobis eſt de fallaci, vanâ & inani Scientia, cum quâ Gentiles olim Philoſophi, teſte Gentium Doctore Paulo *Rom. c. 1.* in infernum deſcenderunt: ſed loquimur de ſcientia verè Chriſtiana, quæ ex ipſo profluit Deo, & in eundem iterum refluit; Eſt nempe ſcientia hæc juxta Theologos *Chariſma* illud, & *donum Spiritûs Sancti*, quô imbutus homo cognoſcit, quæ *credenda*, & *non credenda ſunt*. Geminô donô id perficit in homine Spiritus Sanctus, *Intellectu* ſcil. & *Scientia*: Per *donum Intellectûs* inſtruit, *& diſponit facultatem hominis naturaliter intellectivam*, ut non erroneam, ſed veram rerum imaginem, ſeu *apprehenſionem* formet. Per *donum* autem *Scientiæ* juvatur ipſe hic Intellectus, ſeu vis hominis naturaliter diſcurſiva, ut ſincerum & conforme rebus ipſis *judicium* ſtatuat, atque ſic per rerum creatarum cognitiones, velut per quoſdam Jacobinæ ſcalæ gradus ad ipſius, qui ſcalæ ſummitati innititur, Dei Conditoris pulcherrimam, beatiſsimámque contemplationem pertingat.

Hujus

Hujus autem Scientiæ habitus duplex, Speculativus nimirum, & practicus est: hic *facienda*, ille *credenda* proponit, & uterque modum, quô fiat idipsum, per internas illustrationes edocet; vocatúrque talis habitus *Scientia Sanctorum* eâ de causâ, quia *ex Deo est*, *& in Deum* per viam Salutis æternæ *dirigit*. Quare non immeritò Veterum, qui à via salutis & veritatis deviarunt, Philosophorum futilem, fluxámque scientiam irridens Christianus Poëta cecinit:

Si Christum nescis, nihil est, si cætera discis.

Ubi verò ab æternorum luminum Patre Deo tam affluenter illustratur fidelis anima, ut felici Magisteriô hanc Sanctorum *Scientiam* non modò docere alios, & in Cœlestis Philosophiæ disciplina erudire possit, verùm & hostes fidei, ac opinionum adversantium fundamenta evertere pariter valeat, huic tunc animæ juxta Doctorem Angelicum *2. 2. q. 9. a. 1.* confertur *Gratia gratis data*; quæ tamen non ad salutem necessaria, nec singulis, licèt Justis, propria est.

N. 11.

Hæc Scientia *datur in Ordine Benedictino.*

HAnc igitur cœlestem Disciplinam, hanc *Sanctorum Scientiam*, hoc Spiritûs Sancti *charisma*, & *gratiam gratis datam* in Religione Benedictina & hactenus viguisse semper

& perpetua fœcunditate vireſcere, tam certum eſt, atque dilucidum, ut nullis prorſus armis ad roborandam ejuſmodi veritatem, ſed ad eam dignè illuſtrandam robuſtiori potiùs facundiâ opus ſit.

Arboris nobilitatem, & pretium ex triplici dimetiri capite ſolemus: ex radice ſcilicet, ex ramis, & ex fructu; Quod ſi myſticæ comparemus Arbori Religionem noſtram, nunquid peraccommodâ ſimilitudine ipſum quidem Sanctiſsimum Parentem ſub *Radicis* ænigmate, felices autem tanti Patris Filios, & Poſteros ſub *Ramorum* typo, & edita hactenus vix non innumera, pleniſsimáque variæ eruditionis volumina ſub *Fructuum* ſchemate repræſentamus?

At quo ſpiritu & vitâ vegetatur tam ſancta *Radix*? quâ medullâ nutriuntur tam fertiles *Rami*? quô ſuccô dulcorantur *Fructus* tam delicati? Solus ac unicus Spiritus *Scientiæ* vegetat *Radicem*, enutrit *Ramos*, & *Fructus* illos dulcorat, ut dubitare amplius non poſsis, genethliacam Benedicti Arborem, eſſe *Arborem Scientiæ*: Cujus admirabiles *fructus* Hæctenus noſter *diſq. Mon. l. 2. tr. 4. diſq. 1.* duodenario numero comprehenſos, uno veluti faſce colligatos, lectorum oculis objicit, ita diſſerendo: Fuit ſacratiſsima S. Benedicti Religio

1. In univerſalis Eccleſiæ gubernatione admirabilis.
2. In particularium Eccleſiarum & Diœceſium Regimine ſolicita.

3. In

3. In Gentilium conversione infatigabilis.
4. In Hæresium oppugnatione & extirpatione invicta.
5. In Schismaticorum ad Ecclesiam reductione pacifica.
6. In Scholarum & Academiarum erectione utilis.
7. In sacræ Scripturæ interpretatione assidua.
8. In Juris Canonici collectione fidelis.
9. In Historiarum & veterum monumentorum conservatione incorrupta.
10. In Deiparæ Virginis cultûs propagatione pia.
11. In Cæremoniarum ac rituum Missæ SS. Sacrificij, & Divini Officij ac Festorum institutione devota.
12. In utilium rerum adinventione, ac Disciplinarum illustratione ingeniosa.

Ex his pro ratione tituli aliqua amplissimis Nos per insequentes Numeros & Dissertationes documentis edocebimus.

N. 111.

In S.mo Patre scienter nescio, & sapienter indocto.

GRandis Ecclesiæ Doctor, ac Pontifex, nec minùs eximium Religionis nostræ Sydus GREGORIUS MAGNUS admirabile omnino elogium tribuit BENEDICTO, dum illum *scienter nescium*, *& sapienter indoctum* appellat; quanta enim in brevissimâ antithesi

profunditas! quanta in humili ad ſpeciem præconiô ſublimitas! quanta in pauculis adeo verbis multiplicis Arcani fœcunditas! Nulla luci cum tenebris unquam, & æquè nulla Scientiæ cum inſcitia, aut Sapientiæ cum ignorantia ſocietas unquam fuit. Imoverò eſt luci cum tenebris, inſcitiæ cum ſcientia, & cum ignorantiâ ſapientiæ fœdus arctiſsimum. Lux, *omnem illuminans hominem*, DEUS, qui cùm Judaici populi Ducibus olim loqueretur, *nebulam* inhabitabat, & cùm Salomoniacam Baſilicam præſenti impleret Numine, indice Majeſtatis *fumo* totum involverat; Idem (inquam) ille DEUS, qui *ſcientiarum Dominus* eſt, ac Fons Sapientiæ lucidiſsimus, Sanctioribus, quas in ſuam ſemel ſcholam diſcipulas admiſit, animabus hanc in *ſolenni* ſtatim *Principio* legem dictat, ut *inſcitiæ* ambiant *tenebras*, & per Sacram Chriſtianæ ac ſimplicis Ignorantiæ *caliginem* ad arcanioris *ſcientiæ lucem*, humanis aliàs viribus inacceſsibilem, felices pertingant.

Hujus nobiliſsimum capes ſis documentum à BENEDICTO: Navabat Romæ litteris operam, nondum ephœbos egreſſus; *paternæ dexteræ Digitus*, &, qui *linguas infantium facit eſſe diſertas*, Spiritus *Scientiæ*, ac *Conſilij* ſuavibus ad ſublimiora ſtimulis innocens pueri inflammare pectus, cœleſtis diſciplinæ inſpirare deſideria, & in eremum, ubi ſanctarum mentium Gymnaſia florent, tenellum adhuc Tyronem evocare. Nec ſurdas Cœlum aures reperit: nam profanis valedixit Muſis, ut divinio-

vinioribus jungeretur; à perituris abivit ſcientijs, ut perennaturas adiret, & Romam Antrô ſublacenſi commutans, cùm *in ſolitudine ad cor ejus loqueretur* Patris Sapientia, & quotidiano eundem Magiſteriô Chriſtus imbueret, tam copioſis & mirificis in ſacra illa *Caligine luminibus* ſuperfuſus eſt, ut exinde *Stellæ* inſtar *Matutinæ* per oppoſitas ſibi *nebulas* erumpentis *lucens in diebus ſuis* univerſam DEI Eccleſiam uberrimis hujus *ſcientiæ* radijs illuſtraret. Quàm ingeniosè igitur Gregoriana Suada BENEDICTUM *ſcienter inſcium*, & *ſapienter indoctum* nuncupavit! At talem immeritò nuncupaſſet, nisi aſſeruiſſet pariter, *omnium juſtorum ſpiritu plenum* extitiſſe BENEDICTUM: *Sæcularium* quippe *ſcientiarum* ciſternas ingenti conſilio deſerens, penetravit ad *fontem aquarum viventium*, & his ipſis dum totus inebriatus fuit, quis ambigat, non imbibiſſe *ſcientiæ plenitudinem*, cui *omnium* innatat *Juſtorum* Spiritus, qui in ipſa ſtatim Mundi creatione *ferebatur ſuper aquas*, & Symbolicè mentes Diviniſsimi Fontis, & *ſcientiarum* undâ irrigandas deſignabat?

N. IV.

In Regula per varias Religiones propagata.

QUemadmodùm autem in nitido ſolent ſpeculo oppoſiti Solis radij pulcherrimâ reverberatione ſignari, ſic in una ſanctiſsi-

ctiſsimâ *Regulâ*, quam Prudentiſsimus Legifer præſcripſit Suis, totius Cœleſtis *Scientiæ* Dogmata perfectiſsimè contenta emicant.

Exiguus quidem mole libellus eſt, ſed hæc tenuitas ejuſdem pretium extollit; quia in eo, velut in parvula gemmâ totus ultramundanæ Sapientiæ diſcus ſolaris non ſinè prodigij ſpecie venuſtiſsimè relucet.

BENEDICTUM igitur jure Solem dixeris, à quo tot Sacræ ac Illuſtres Religiones ceu minora Cœli Sydera lucem ſuam, & vitæ *Regulam* accepêre: Septemdecim enim numero inclytas Religiones, quæ Chriſto ſub eâdem nobiſcum Regulâ militant.

Hanc amplexantur Ordo Specuenſis, Ordo Carthuſienſis, Ordo Ciſtertienſis, Ordo S. VVilhelmi;

Hanc colunt Ordo Scotorum, Ordo Montis Oliveti, Ordo Sclavorum, Ordo Vallis-Umbroſæ, Ordo Fontis Ebrandi;

Hanc imitantur Ordo Cœleſtinorum, Ordo Humiliatorum, Ordo Grandimontenſis, Ordo S. Ambroſij;

Hanc obſervant Ordo Camaldulenſis, Ordo Vallis ſcholarium, Ordo S. Pauli primi Eremitæ, Ordo de S. Burga Vidua.

Et ne ſublimium hominum Ordo ad ſplendorem deeſſet, plures etiam Equeſtres Familiæ hanc toties, & nunquam dignè ſatis celebratam Salutis *Regulam* ſuſcepêre:

Suſceperunt Eam Equites de *Avis*, ſeu

Ebo-

Ebore; Equites de *Calatrava*; Equites de *Alcantara*; Equites S. Mariæ *de Mercede*, *& Redemptione Captivorum*; Equites de *Montesia*; Equites *Jesu Christi*; Equites *S. Mauritij*, & *S. Stephani Papæ*; quorum ultimum Ordinem instituit Magnus Cosmus de Mediceis Eturiæ Dux: Hic interrogatus, cur assiduè *Regulam* S. Benedicti versaret in manibus? Respondit istud se facere, quòd scilicet ex tam prudentibus S. Patris præscriptionibus, ad populos suæ fidei concreditos valdè accommodata media caperet. *Ex c. 1. lib. Thomæ Galeti, qui inscribitur, Religiosus.*

Et si scire quis aveat, in hac quidnam Regula proprium Cœlestis *Scientiæ* characterem manifestiùs exprimat? Magnum denuò Gregorium audiat, gravissimè pronuntiantem, Benedicti Regulam *Sanctæ discretionis plenam esse.* O! Sancta discretio! O! Divina præ reliquis! O! propria Sanctorum Virtus! tu cæterarum medulla, tu vita, tu anima es!

N. V.

In Albo Sanctorum, & Pontificum &c. *syllabo.*

RAdicis indoles solet ramis adnasci, & genuina nunquam degenerat à Parente soboles. Non est igitur, cur obstupescam ex pleno *Divinæ Scientiæ*, ac tam Sancto Patre *plenos* pariter *Scientiæ Spiritu*, & Sanctos omnino *filios* descendisse. Utinam ea dicendi

di mihi vis, & tanti flumen ingenij, & calamus tam facundus eſſet, ut eorum, quibus Benedictina Religio efflоruit, hominum, ſolenni Eccleſiæ ritu immortalitati conſecratorum, vel accuratum inire calculum, vel ſingulorum cogere merita in compendium poſſem! Credo ſanè, idipſum ingeminari hîc poſſe, quod dixerat olim Abrahamo Deus: *numera ſtellas, ſi potes.* Aſtronomorum induſtria pertigit eò, ut certum determinaret ſtellarum numerum, licèt nullus eorum dubitet, majorem eſſe; & Trithemius noſter illibatæ Author fidei, ac inter Eruditos ætate ſuâ celeberrimus ingenti uſus accuratione, initô tandem calculô, *lib. 1. de Viris illuſt. Ord. S. Bened. c. 4.* aſſeverat: *Temporibus Joannis* XXII. *ex annalibus ſummorum Pontificum, & hiſtorijs veterum repertos eſſe de Ordine Sancti Benedicti tam ex Monachis ſimplicibus, quàm ex Prælatis diverſarum Dignitatum Sanctorum Catalogo inſertos quindecim mille, quingentos, quinquaginta novem.*

Ambige nunc, ſi potes, utrum in Religione tot ſanctis conſpicuâ *Spiritus* vigeat *Scientiæ?* Hæc communis eſt Dos, quam deſponſandis animabus largitur DEUS; Illâ non potuerunt ergo carere in hac, quos in altera coronare vita Cœlum ſtatuerat. De quorum numero Sanctorum quidam ita cecinit:

Iſte quot Indigetes! quot Divos protulit Ordo!

Vix

Vix fasti capiunt numerum; sunt æthere plures,
Quàm qui Sanctorum sunt in monumenta relati.

Sanctis in Cœlo cum Christo regnantibus addamus eos, qui eosdem in terris Sanctos pronuntiant, & qui ipsi, quòd Christi vices gerant, in terris jam Sancti audiunt: inspiciamus seriem Romanorum *Pontificum*, & inspiciemus *quadraginta sex*, è quibus plerique Sancti, non aliô, quàm Virtutis, & *Scientiæ* meritô in Romani Principatûs fastigium evecti, Romanam Ecclesiam plurimum illustrarunt; Eorúmque non pauci turbidissimis temporibus (ut aiunt Mezgeri) ultra tria sæcula stetêre magis, quàm sedêre in Petri Cathedra & Sede, inter procellas constantissimi. Nec invidendus erat Honor, in quo tantus labor, quies nulla, nullæ, quæ appetitum irritarent, deliciæ. Talibus ergo viris, & Patri, qui illos genuit, & Matri, quæ educavit, Religioni, non parum debet illa, cui omnes debent, catholica Ecclesia: Nempe inter pericula Tutoribus, inter minitantes ruinas Columnis, inter Tempestates fidis Gubernatoribus. Nec inaniter scriptum legimus; Sanctum Petrum Ecclesiæ Primatem tunc temporis cuidam conspicuum se præbuisse, dixisséque: *Vado ad Fratrem meum Benedictum.*

Ubi verò tam venerabilis est Pontificum Syllabus, imaginari sibi quisque facillimus potest, reliquorum in mystico Ecclesiæ corpore mem-

membrorum insignem non minùs numerum fore: si *gloria Patris*, juxtà Divinum Oraculum, *est Sapiens* ac illustris *filius*, multiplici sanè gloriâ circumfluit *Benedictus*; è suo namque gremio dedit Ecclesiæ *Patriarchas* quinquaginta duos; dedit *Cardinales* ultra ducentos; dedit *Archi-Episcopos* plures, quàm mille ducentos; dedit *Episcoporum* millia quatuor, sexcentos & ultra, &c.

Nec vel Crucem, vel Purpuram, vel Pallium, vel Tiaram hi fere omnes aliô sunt adepti sudore, quàm eô, quô discipuli Crucis in schola Christi sub Magisterio Spiritûs *habentis Scientiam vocis interne loquentis* suaviter diffluunt.

N. VI.

In Ecclesiæ Doctoribus, & celebrioribus Asceseos Magistris.

IAm in medium adducendi essent Ecclesiæ Doctores, & celebriores *Asceseos* Magistri, quorum felices Calami *Theologiam Mysticam* uberrimis Christianæ Posteritati monumentis consignârunt. Sed hujus Orationis difficiliùs est exitum, quàm principium invenire; præsertim ubi temporum injuriâ, Antiquitatis minùs exactæ vitiô, & ob typi defectum innumera nobis interîre Cœlo notissima, & in decretorio olim Judicij ultimi die manifestanda.

Inter hæc si revocem in memoriam illustrissi-

ſtriſsimos, quos Benedictina Religio diverſis ætatibus tulit in *Aſcetica Facultate* Doctores, ſtupeo, & ſuſpenſus pariter admiratione calamus hæret. Quid enim dicam, de laudato toties hactenus *Gregorio Magno*, qui in moralibus & chriſi ſancta

Nec primum ſimilem viſus, nec habere ſequentem?

Et cui frequentiſsimè ſub Columbæ ſpecie aſſidere in humero viſus eſt Spiritus Sanctus, & *ſanctorum Scientiam* ubertim inſtillare?

Quid dicam de Angli*c*anæ Eccleſiæ, tot olim Apoſtolorum nutricis, eximio Sydere ac Cantuarienſi Archi-Præſule ANSELMO, qui in ſingulis, quæ ſcripſit pæne folijs nil ſpirabat, niſi Spiritum *Scientiæ*; & (ut effatur de eo S. Mater Eccleſia,) in Sanctis meditationibus ſe exercens, lacrymarum imbres fundens, plerúmque ante nocturnas vigilias parum, aut nihil ſomni capiebat?

Quid dicam de illuminatiſsimo, & VENERABILI BEDA, cujus in Aſceticis eruditio fuit incomparabilis, & naſcens hinc fama, gloriáque ferè ſinè exemplo; illius etenim adhuc viventis Homiliæ cœleſti doctrinâ refertiſſimæ in publicis Eccleſiæ conventibus ad inſtruendos Chriſti fideles, & in DEUM obſequiô, cultúque inflammandos prælegebantur; Unde cùm Sancti titulus non poſſet, *Venerabilis* Antonomaſia præfixa eſt?

Quid dicam de mellitiſsimo Eccleſiæ Doctore BERNARDO?

Quid

Quid de LEANDRO Hiſpalenſi? de GREGORIO Turonenſi? ILLDEPHONSO? LAN-FRANCO? RUPERTO Tuitienſi?

Grandia nunquid Doctorum nomina? grandia Eccleſiæ Lumina? quæ cùm alienâ luce non egeant, actum ageremus, ſi quid laudis addere, & quid lucis aſpergere noſtra eisdem balbuties, & caligo vellet. In honoris potius obſequium comitentur illos præſtantiores itidem in hac *Sanctorum Diſciplina* Magiſtri, B. PETRUS DAMIANI, Trithemius, Bloſius, Gerardus Belga, Benedictus Hæftenus: omnésque cæteri, qui aliquo *Scientiæ* hujus Charactere inclaruerunt: quos inter *nuperrimè* in *Viciniâ* enituit Reverendiſsimus DD. Joachimus Abbas Fiſchingenſis in Helvetia; cujus *Scientiæ*, quam tractamus, *Spiritum* editi hactenus libelli vix-non *palpabilem* exhibuêre.

Huic meritò adjungas R. P. Anſelmum Bisling Einſidlenſem, qui in *Exercitiorum ſuorum Monte Thabor* &c. ſummum profectò Perfectionis, ac elogiorum ſimul, quæ præſtantiſsimi undique Viri addiderunt, apicem feliciſsimè attigit: ſicut & R. P. Placidus Spies Prior Ochſenhuſanus in ſuo *ſacrarum Meditationum Alveari.*

N. VII.

N. VII.

In Ioanne Gerſene aurei de Imitatione Chriſti libelli *Authore.*

AT, ut in uno reliquos Speculo intueri nobis liceat, prodeat JOHANNES GERSEN in Italia Vercellenſis Abbas, quem aurei *libelli de Imitatione Chriſti* Conditorem, Authorem, & Scriptorem eſſe, nemo hodie dubitet: quando poſt annorum plurium celeberrimam acerrimis agitatam ſtudijs, & ſummo rigore pertractatam controverſiam, ab Illuſtriſsimo Archi-Epiſcopo Pariſienſi, & Viris in re antiquaria, ac omni præterea doctrinæ genere verſatiſsimis, necnon illuſtri dignitate, famáque conſpicuis Anno tandem 1671. in noſtri ſacratiſsimi Ordinis favorem, & pro ipſo *Gerſene* definitum fuit; delectos tunc Judices ad ita decernendum præcipua hæc impulit cauſa, quòd Authographa MS. Gerſenis, ex varijs hinc inde locis Lutetiam Pariſiorum comportata, & ab Adverſarijs falſi poſtulata, omni prorſus carere vitiô, & nullius falſi vel longinquam ſuſpicionem latere, manifeſtè deprehenderent. Hoc peritiſsimorum Virorum factum judicium R. P. Franciſcus Delfau Monach. ac Presb. Cong. S. Mauri per Apologiam pro Gerſene toti ſubinde promulgavit litterario Orbi.

Canonici Regulares quidem tantum

sublimis libelli partum Thomæ Kempensi suo tribuentes, sublato è vivis post triennium Delfaviô (nostrô in tam celebri causa Agente) *Kempenses vindicias* vulgarunt. Verùm insurrexit contra eosdem laudatissimus Mabillonius noster, & editis in lucem solidissimis pro more *Animadversionibus* &c. Adversarios luculenter, ac cum victoriæ palpabili fructu refutavit. Rationem autem, cur Benedictini Gersenem vindicare seriori tandem animo debuerint, luculentam detegunt ipsius Verba Galli Vindicis: *Quanquam si satìs habuissent* (inquit *in præfat. pag 14.*) *Thomæ vindices, rem haud dubiè nostram ad se transtulisse, nullam propterea litem eis intendissemus, seu in gratiam ejus necessitudinis, quæ nobis cum ipsis intercedit, aternúmque intercedet; seu quod Ordini nostro affatim Scriptorum est, quorum præclara multitudine unius quamvis nobilis jacturam facilè solari possit. Nunc verò cùm Majores nostros corruptorum exemplarium Reos palam ac publicè egerint, officij nostri esse duximus, fœdam hanc atque illiberalem notam amoliri.*

Quemadmodum igitur Regi Macedonum Philippo quondam Orator acclamavit: summam hanc ejus esse laudem, quòd Alexandrum genuerit; ita potiori nos jure, sacram Religionem nostram alloqui sic possumus: Incomparabile tuum, fœcunda Benedicti Propago! præconium in hoc versatur, quòd aureum hunc,

hunc, & pretiosum adeò, ac post sacras utriusque Testamenti paginas omnium judiciô nobilissimum edideris partum; &, dictante *Scientiæ* spiritu, in totius humani Generis uberrimos fructus scripseris divinissimum illum *de Christi Imitatione* libellum. Hujus laudes multò excellentissimas Constantinus Cajetanus noster laconicè quidem, sed energicè complexus est, dum ita loquitur: *Quanquam (si verum fateri velimus) non Joannes, sed ipsa potius Divinitas, atque (ut apertiùs loquar) Sacer ille Spiritus, habitator quietis puræ mentis penetralibus dilapsus, per os Viri illius altitudinem divitiarum Sapientiæ, & scientiæ Dei mortalibus patefecit &c.*

N. VIII.

Posthuma Reverendissimi DD. Georgij Geißeri Abbatis Villingani testimonia pro Gersenio.

QUoniam Sacri tribunalis Parisiensis Authoritas suismet probè instructa viribus alieno haud indiget robore, non pro fulcro, sed ornamento potius, & curiosi Lectoris gratiâ hoc apponere numero statui gemina testimonia, quæ inter notata posthuma Reverendissimi DD. Georgij Geisleri Abbatis Villingani, viri ob eximiam eruditionem, virtutémque prorsus singularem celebra-

tissimi, reperta, Reverend.mus DD. Michaël ejusdem Virtutis, eruditionis ac honoris Hæres, Successórque gratiosè mecum communicare dignatus est; sic autem habent: In Celeberrimo & Imperiali Monasterio Zwifaltensi asservantur duo libri MS. Germanici; alter in folio, ut vocant, octavo, alter in quarto. Qui in octavo hoc fine clauditur: „Hie hand ein End ꝛc. Capitel. Zu tutsch gemacht vnd genommen vß dem buch genant in latin De Imitatione xpi geschriben Anno Dñi M.o CCCCo XLVI. in jejunio Andreas Dunchs Capellanus in Hunenstain, hoc est, Hunenstein. Initium verò prædictorum capitum est hoc: Ain Capitel von der Nachfolgung IHU xpi, vu verschmachunge all° vppickait der welt.

Alter in 4to sic incipit: „Prima Pars de imitatione Christi. Tum Germanicè: Hie vahet an der erste theil der Nachvolgung Ch. vnd von verschmehung der welt. Post finem tertiæ partis hæc habentur: 1448. am anderen tag der Winachten wart diß buch vßgeschriben / bit GOtt für mich ein Ave Maria. Et ad marginem: „Explicit liber de interna locutione ad animam fidelem. Sequitur: hie vahet an daß vierde teil und sint von dem Sacramente.

In Monasterio omnium Sanctorum Schaffhusij extat libellus de Imitatione Christi, impressus 1487. cujus unus & solus titulus: „Tractatus aureus, & perutilis de perfecta imitatione

« tione Christi, & vero contemptu Mundi, sinè Authoris nomine: ut testatur Reverendissimus DD. Basilius Abbas Rhenovienſis in ad me datis 30. Martij 1683. Est autem hic libellus in forma 12. sub charactere antiquo, majusculis, prout mos antiquorum ferebat, colore tinctis, locus præli nullus est. Additus est Tractatus de meditatione Cordis Johannis Gerson.

N. IX.

Prolixior Relatio Controversiæ circa Authorem libelli de Imitatione Christi, ex Actis Eruditorum, Anno 700. fol. 100.

Citant Acta Eruditorum Bibliothecam novam Scriptorum Ecclesiasticorum, Authore Ludovico Ellies du Pin: & ad hujus mentem præallegatam controversiam sic referunt:

Nemo quippe tam ignarus est rerum in Orbe erudito gestarum, ut certamina ob libri hujus Auctorem à Viris doctissimis, integrisque Ordinibus susceptа ignoret. Et Auctor quidem omnem controversiæ hujus seriem primo justo ordine exponit, ex quo eam paucis repetere operæ fuit pretium. Prætulisse namque initio huncce librum refert nomen Bernhardi, inde mox Gersonis, mox Thomæ de Kempis. Post Baldij editionem A. 1520. luci publicæ expositam, à plerisque Thomam de

Kempis pro ejus Auctore fuiſſe habitum nemine ferè repugnante, donec ſub initium hujus ſæculi lis hac de re moveretur. Et primo quidem in Hiſpania Petrum Manriquez Thomæ Kempenſi eum ideo abjudicaſſe, quod Bonaventura in ſuis Collationibus libri hujus injeciſſet mentionem, quem tamen conſtaret eſſe mortuum, priuſquam natus eſſet Thomas de Kempis. Secutos fuiſſe hanc ſententiam nonnullos ex Hiſpania, quibus deinceps acceſſerit Roſsignolus Ordinis Jeſuitarum ſacerdos, qui ex codice quodam manuſcripto, quem apud Jeſuitas Aronæ commorantes inſpexerat, probare anniſus fuerit, Auctorem libri hujus eſſe Joannem Gerſen ſeu Geſſen ſeu Geſen Abbatem Ordinis Benedictini. Huic oppoſuiſſe ſe Rosvveidam Jeſuitam Belgam, qui editâ A. 1615. epiſtola Thomæ de Kempis librum hunc ceu genuino Auctori vendicaverit, aſſeruerítque Collationes, uti vocantur, Bonaventuræ huic auctori perperam tribui. Nec tamen impunè hoc tuliſſe Roſvveidam: Conſtantinum namque Cajetanum, itidem Ordinis Benedictini Abbatem ex Congregatione Montis Caſſini Romæ A. 1616. recudi curaſſe huncce librum præfixo eidem nomine Joannis Gerſenij, additáque diſſertatione, quâ librum Bonaventuræ, à Roſvveida in dubium vocatum, iterum huic auctori aſſerere atque ex manuſcripto Codice Aronenſi rem omnem planè confiecre voluerit. Nec tamen deſeruiſſe cauſam hanc Roſvveidam, ſed edidiſſe A. 1617.

Vin-

Vindicias Kempenſes, in quibus probare conatus fuerit, codicem aronenſem neutiquam ex antiqua Benedictinorum Bibliotheca fuiſſe, ſed Majolum Jeſuitam eum ex Patris ſui domo ſecum attuliſſe. Quam ejus ſententiam Cajetanus, editâ A. 1618. Pariſijs Apologia iterum infirmare allaboraverit. Hinc inducias veluti factas narrat uſque ad annum 1626. tum enim Roſvveidam novam libri hujus curâſſe editionem, addita diſſertatione, qua Thomæ Kempenſis cauſam iterum egerit: eamque editionem recudi feciſſe, poſt Roſvveidæ mortem A. 1630. & 1634. Bollandum. Mox tamen Valgravium Benedictinum huic editioni aliam oppoſuiſſe Pariſijs A. 1638. impreſſam, additis notis apologeticis, in quibus trium codicum manuſcriptorum, & editionis Venetæ A. 1501. procuratæ, Auctoritate Joanni Geſſenio Abbati Vercellenſi hunc fœtum aſſeruerit: licèt in uno codicum manuſcriptorum, qui fuerit Cardinalis de Biſcia, auctor libri vocatus fuerit Joannes de Canabaco. Sed nec ita rem eum confeciſſe, quin Frontonem (Fronteau) oppoſuiſſe illi librum A.o 1641. impreſſum, quo argumenta Valgravii diſſuere ſuſceperit. Eodem verò tempore Richelius Cardinalis volebat, ut porro Auctor narrat, ut regijs typis liber de Imitatione Chriſti excuderetur: ad eum itaque Gregorius Tariſſus Superior Benedictinorum de Congregatione S. Mauri accedebat, rogabátque Cardinalem, ut librum ſub nomine Joannis Gerſenij exire per-

permitteret, simúlque ad quatuor codicum manuscriptorum, qui Romæ essent, nomén-que Gersenij hujus præfixum haberent, provocabat. Richelius, ne temerè definire quidquam hac in lite videretur, à viris doctis codices illos inspici voluit, ut, num res se ita haberet, uti Tarissus narraverat, edoceretur. Pluribus auctoritate Cardinalis Bagnij cura ista demandata fuit (ex mente quippe Auctoris hæc narramus) quos inter etiam fuit Gabriel Naudæus. Hic cum accuratiùs codices istos perlustrasset, tandem deprehendit, nullum causæ Benedictinorum hinc afferri præsidium posse: nec etiam quatuor manuscripti codices, ut Tarissus asseveraverat, sed tres tantum Romæ asservabantur, & quidem ijdem, quos Valgravius produxerat, quarto autem loco accedebat Veneta libri hujus editio eidem Valgravio laudata. Naudæus itaque cum hoc retulisset, instrumento solenni hoc ejus confirmare testimonium, quod antea visum illis fuerat, minus consultum duxerunt, quibus hoc negotium erat datum: ipse tamen ut rem omnem deprehendisset, litteris à Vincentio Galleoto more recepto confirmatis, perscripsit ad puteanos fratres. Hæc dum Romæ agebantur, in Gallia Sirmondus auctoritate codicis manuscripti, qui in collegio Jesuitarum extabat, fultus, librum istum antiquiorem esse, quàm ut Thomam Kempensem agnoscere posset auctorem, contendebat: Dionysius contra Petavius argumento ex styli ratione ducto, Tho-

mæ

mæ hunc librum vindicabat, cæteríſque difficultatibus jam abundè ſatisfeciſſe Roſvveidam arbitrabatur.

Quæ ſanè doctorum Virorum diſſenſiones effecerunt, ut Richelius, nullo addito auctoris nomine, librum imprimi juberet. Naudæi tamen Auctoritas tanti non fuit Benedictinis, ut non Cajetanus Abbas in ſententia perſiſteret, denuóque Apologiam pro Joanne Gerſenio, cum nova libri editione, vulgaret, Romæ A. 1644. impreſſam. Sed Cajetanum rurſus Simon VVerlinus A. 1647. refutavit, ſicut jam A. 1641. Idem Valgravium refutaverat, licèt liber contra Cajetanum ſcriptus demum A. 1649. prodiret. Eodem tempore Fronto diſſertationem ſuam recudi fecit, teſtimoniúmque Naudæi de codicibus MS.tis Romanis illi inſeruit, & hoc ipſo velut claſsicum cecinit, & ad prælium viros doctos denuo evocavit. Namque ſtatim Robertus quatremarius de Congregatione S. Mauri ad Frontonis Diſſertationem reſpondit, atque Naudæum perfidiæ tum in examinandis, tum in tractandis codicibus iſtis MS.tis accuſavit: in ſuſpicionem namque eum adducere conatus eſt, ac ſi codices iſtos, dum ad perluſtrandum illi conceſsi ſunt, ipſe depravaſſet. Huic acceſsit Franciſcus Valgravius, qui eidem Frontonis Diſſertationi reſponſionem oppoſuit, & eandem quoque contra Naudæum repetijt accuſationem. Naudæus itaque graviſsimi criminis exprobratione irritatus, non tantùm armis,

quibus pugnare eruditi consueverunt, depellere hanc calumniam consultum duxit, sed ad magistratum quoque rem detulit, ut petulantiæ suæ promeritas darent pœnas, qui existimationi ejus æternum inusisse dedecus videbantur. Et hactenus vicit in hoc judicio Naudæus, ut adversarij ejus delere verba, quibus famam ejus lacessiverant, juberentur, simúlque prohiberetur sub nomine Johannis Gersenij librum imprimere, permitteretur contra Thomæ Kempensis ei præfigere nomen. Interim Fronto tum Valgravio, tum Launoio (hujus enim de auctore hujus libri tractationem, qua pro Johanne Gersenio contra Thomam Kempensem sententiam pronuntiaverat, recudi fecerat Valgravius) nonnulla reposuit. Naudæus autem, editis varijs tum latino, tum gallico idiomate libellis, causam suam acriter egit præsertim in Cajetanum Abbatem calamum strinxit *in causa*, ut vocat, *Kempensis correctione*, nec mitiorem se præbuit erga Launoium *in Velitatione Kempensi*. Paulò modestior eô fuit Thomas Carreus Anglus, qui eodem tempore pro Thoma à Kempis in arenam descendit, in libro, cui titulum fecit: *Thomas à Kempis à se ipso restitutus*. Atque hunc sanè inter doctissimos Thomæ defensores referendum esse Auctor censet. Cæterum Fronto quoque novis excogitatis rationibus iterum in scenam prodijt, nec defuit sibi Launoius, sed Frontoni librum opposuit: Vangallius autem cum Marillacio congressus est,

&,

&, quæ hic pro Joanne Gerſenio dixerat, diluere conatus eſt. Sed Canonici tamen Regulares, victoriam ad ſua tranſiſſe caſtra, non dubitabant, poſtquam publico decreto, ut antea diximus, ſancitum eſſet, ut ſub nomine Thomæ de Kempis impoſterum liber iſte imprimeretur; hinc *Triumphum Thomæ de Kempis* ediderunt, Auctore Denoſio, itémque alium librum Gallico idiomate ſcriptum, titulúmque præferentem: *La Conteſtation touchant l'Auteur de l'Imitation de J. C.* cui in diſſertatione quadam gallica Launoius quædam repoſuit.

Benedictini interim, quos potuerunt, congeſſerunt codices manuſcriptos, eóſque ſupremo Præſidi Domino de Lamoignon obtulerunt, qui cùm Viros quoſdam doctrina præſtantes convocaſſet, judicatum rurſus fuit, hos codices nullum eauſæ Benedictinorum afferre præſidium. Acceſſerunt itaque ijdem ad Franciſcum Harlæum Archiepiſcopum Pariſienſem, eíque duodecim codices manuſcriptos obtulerunt: cúmque itidem Viros criticæ artis peritiſſimos, intérque eos Valeſium, Baluzium, Cotelerium, alióſque convocaſſent, hi præſente Archiepiſcopo rem omnem accuratiùs ſub examen revocantes, tandem deprehenderunt, ſcripturam unius codicis à Naudæo in dubium Vocatam omnino genuinam eſſe. Factum id die 14. Auguſti Anno 1671., indéque Benedictini A. 1674. librum iſtum, præmiſſo nomine Johannis Gerſenij, recudi fecerunt, ſimúl-

simúlque in lucem emissa est dissertatio Delfonij, quâ causa Benedictinorum strenuè defenditur. Accessit mox codex manuscriptus Slusianus Benedictinis oblatus, quem præstantissimi Critici hanc ob causam die 23. Augusti A. 1674. Congregati pro genuino & satis antiquo, ut res ex eo confici posset, habuerunt. Canonici contra Regulares non tantùm dissertationi Delfonij A. 1677. responsionem opposuerunt, seu Vindicias Kempenses à Testelleto conscriptas, & mox per aliquot observationes refutatas, sed congestis varijs codicibus manuscriptis Criticorum itidem hanc ob causam die 4. Martij A. 1681. congregatorum solenni testimonio illorum auctoritatem vímque probandi confirmari curarunt, ne hac in parte inferiores Benedictinis viderentur.

Tandem verò Johannes Mabillonius & P. Michael ex itinere Italico reduces, aliquot libri hujus codices manuscriptos secum attulerunt, eósque Criticorum celebrium, ad hanc ce causam disceptandam congregatorum, judicio submiserunt, qui codicem Aronensem, quem ex Italia apportaverant non inferiorem annis trecentis, præterea duos alios tantæ antiquitatis judicarunt, ut res ex illis confici posset: factumque id die 28. Julij A. 1687. Hæc itaque libri hujus facta postquam Auctor recensuit, ad rem ipsam se confert, & primò quidem rationes enarrat, quibus probari possit auctorem libri hujus non esse Bernhardum: cum codices manuscriptos, qui nomen Thomæ

mæ de Kempis præfixum habent, ſub examen revocat, editionéſque eidem auctori hunc librum vendicantes recenſet, nec prætermittit teſtimonia Auctorum Thomæ à Kempis faventium, iiſque & rationes, quibus idem evinci poſsit, addit; porro in medium producit rationes, quibus contra Thomam à Kempis pugnatur, & eas quoque accuratiùs ſibi conſiderandas ſumit: tum verò producit codices manuſcriptos & editiones, pro Joanne Gerſone Cancellario Academiæ Pariſienſis militantes, iiſque rationes, quibus idem probari poſsit, ſubjungit; nec tamen rurſus reticet rationes, quæ contra Gerſonem proferri poſsint: atque his ita ordine enarratis ad Johannem Geſſenium, ſeu Gerſenium Abbatem accedit, & num Abbas aliquis Vercellenſis hujus nominis unquam vixerit, aut num fortè cum Joanne Gerſone à nonnullis fuerit commutatus, diſquirit. Suam tandem hac de lite ſententiam hunc in modum exponit: primò certum putat & exploratum, auctorem hujus libri nec Bernardum eſſe, nec Ludolphum Saxonem, cujus nomen in codice quodam manuſcripto legatur: deinde nullum extare argumentum, quô planè evincatur, Thomam à Kempis ejus eſſe auctorem; antiquiſsimum enim codicem manuſcriptum, qui ei favere videatur de Anno 1441. Thomæ quidem præferre nomen, ſed non Auctorem; verùm qui librum deſcripſit, eodem deſignari; reliquos codices aut editiones nihil probare, cùm ijs antiquiores aut ſaltem

æquè antiqui sint, qui Gersoni aut Gersenio faveant: ex stili conformitate nihil quoque colligi posse, cùm hæc sola ad librum Auctori vindicandum non sufficiat, nec in omnibus hic deprehendatur, incertum quoque sit, quinam ex reliquis viri hujus libris eum auctorem agnoscant. Præterea valde sibi verosimile videri asserit, librum hunc Thomâ de Kempis esse antiquiorem; id quod ex codicibus, qui A. 1433. 1434. 1436. 1437. scripti sunt, demonstrat. Quin vivente adhuc Thoma de Kempis librum hunc Bernhardi quandoque, aut Gersonis, aut Gesslenij nomen præfixum habuisse, itidem ex manuscriptis codicibus ac editionibus nonnullis comprobat. Certum insuper esse dicit, antiquissimos codices aut nullum nomen præfixum habere, aut nomen Gersonis præferre, & Johanni quidem Gersoni non tantùm multos codices favere, sed in Francia quoque & Italia per duo integra sæcula, decimum quintum & decimum sextum, omnium consensu eum pro libri hujus auctore fuisse habitum; sed obstare ei primò diversitatem styli, tum quòd *Monachus* non fuerit, qualem tamen auctorem libri fuisse constet. Sed illos quoque nullo fundamento niti, qui Gersenium, aut Gesslenium pro Abbate Vercellensi Ordinis Benedictini venditent, cùm in codice Aronensi tantùm Abbas vocetur, in cæteris autem codicibns nunquam ne Abbatis quidem nomen compareat: denique non posse definiri autumat, num in Codicibus manuscriptis nomina Gesen, Gessen,

sen, Gersen Academiæ fortè Parisiensis Cancellarium Gersonem aut alium quendam & præsertim Abbatem dictum designent. Atque ex his omnibus concludit, post tot discrepationes incertum adhuc manere, quis sit libri hujus Auctor.

N. X.

Corollarium ex recensita hactenus Relatione.

EX hac, quam percepimus, Relatione colligas velim, Amice Lector! primò: agnoscere perspicuè, & ingenuè profiteri *Referentem*, Authorem libelli *de Imititatione* Thomam Kempensem neutiquam esse, sed Monachum quendam.

Secundò, eundem hærere, an Monachus is Benedictinæ fuerit Familiæ, & Abbas quidem, nec ne? idcirco nempe, quòd illi, quos Benedictini pro se adduxere, MS. Codices præfixum Abbatis nomen non habeant.

Verùm, si, quod res fortè est, fari licet, videtur iste Author hac concludendi arte solari voluisse Partem Adversam, cui Kempensem abjudicasset: inani quippe religione seu scrupulô eum trahi, nemo est, qui, penitiùs utriusque partis fundamenta perpendens, non luculentè advertat: Quem enim Eruditorum fugit, quòd etiam hac ætate non Abbatis modò, sed èt ipsum adeo Authoris germanum nomen certas subinde ob causas passim supprimatur? ut nuperrimè videre erat in Eminentissimo Sfondrato

drato nostro, qui partim nullô, partim asciticiô Eugenij Lombardi nomine varia typo mandavit opuscula, inter Eruditos immortalitatem nihilominus felicissimè adeptus.

Et verò, ipsa fortassè, quam enixè adeò, & crebrò Gerssenius inculcat, & undique spirat, monastica eum humilitas commonefecerit, amplissimum Abbatis titulum negligere potius, quàm avidè fronti sui libelli præfigere: Etsi eundem manifestè indicent MSS. Codices Aronensis, & Januensis, teste Reverendissimo DD. Constantino Cajetano in *Responsione Apologetica adversùm Vindicias Kempenses Heriberti Rosvveydi S. I.* Ubi apertè insaper, & ad oculum demonstrat, Gerssenem & *Benedictinum* quidem, & *Vercellensem* extitisse Abbatem &c.

Testem hunc (Cajetanum) appellat Adversarius noster f. 532. *Abbatem fabulosissimum* &c.

Labem tamen supplet, & diluit Eminentissimus Card. Baronius, qui apud Ferdinandum Ughellum in *Italia Sacra* (quod Opus immortali laude dignum censet R.mus DD. Abbas Geyslerus) Cajetanum *fol. 161.* appellat, *doctum, & rerum antiquarum peritissimum*: Item *fol. 797. Eruditum senem, amicum suum*; & *fol. 151. in antiquitatibus in lucem vindicandis laborantem.*

Qui Idem Ughellus convitia, ab Adversario in Caramuelem passim congesta, uno abstergit encomiô, eum ex mente Erycei Puteani nuncupans, *Virum, si ingenium, doctrinam,*

nam, eloquentiam ſpectes, magnum, eximium, ac planè Divinum.

DISSERTATIO II.

An aliæ præterea Scientiæ *vigeant Religione Benedictina?*

SUMMARIA.

1. *Quales* Scientiæ *ſub hoc titulo veniant? Et eæ num in Benedictino Ordine floreant?*
2. *Sacræ Scripturæ Interpretes.*
3. *Theologi Scholaſtici.*
4. *Canoniſtæ.*
5. *Philoſophi.*
6. *Hiſtorici.*
7. *Mathematici.*
8. *Muſici.*
9. *Linguiſtæ.*
10. *Oratores.*
11. *Poëtæ.*
12. *Grammatici.*
13. *Quinque Sibyllæ.*
14. *Suffragium R. P. Dominici Muſantij S. I. de Literarum per Noſtros propagatione, & librorum antiquiorum utilitate.*
15. *Copia Scriptorum noſtrorum.*
16. *Arnoldi VVionij circa Eos Judicium.*
17. *De ijſdem Hieronymi Plati S. I. Teſtimonium.*

N. I.

Quales Scientiæ *ſub hoc titulo veniant? Et eæ num in Benedictino Ordine floreant?*

SErmo nobis hactenus de *Scientia Sanctorum*, ab alijs *Theologia* etiam *Myſtica* nuncupata, diſcenda in Academia cœleſti; cujus feliciores Alumni non tam Theologi evadunt, quàm Theophili. Ejus Magiſter eſt & Profeſſor ipſus Doctor Doctorum Chriſtus JESUS: Diſcipuli univerſæ Chriſtiadum, Animæ, ſimplices tamen, & humiles, quæ ignorare, ignoraríque in ipſius Mundi theatro unicè concupiſcunt; Quæq; in centrum ignorantiæ, Chriſtum circumplexæ, ſemel admiſſæ, Sortis denique & *Scientiæ* ejuſdem JESU Chriſti merentur fieri participes, & in ſecretiori Aſceſi ſalubriùs eruditæ, propter *eminentem Scientiam* Jeſu *Chriſti*, *omnia arbitrantur ut ſtercora*: His *ſublimior Philoſophia*, *ſcire JESUM Chriſtum*, *& hunc Crucifixum*. Dicitur hæc Theologia myſtica *notitia Divinorum in Oratione*, *& contemplatione modô ſupernaturali comparata*. Apud Pettſchacher *de Deo*, *q. præm. a. 1. §. 1.*

Occaſione hujus, quam Diſſertat. priori pertractavimus, *Scientiæ*, ad alias inſuper dilabimur *Scientiarum* facultates, quas humanâ obtinere induſtriâ poſſumus, ſine ſpeciali Luminis Divini adminiculô; Habitus earum recen-

censentur inter *aquisitos*, nec *simpliciter*, sed *secundùm quid bonum reddunt habentem.*

Inter Eas verò tenet primatum *Theologia*, quæ occupatur vel in eruendis Sacræ Paginæ Mysterijs, & vocatur *Positiva*; vel in demonstrandis, explicandísque veritatibus, quæ DEUM, Christum, Angelos, Hominem, Virtutes, Sacramenta &c. spectant, & indigitatur *Scholastica*; vel in asserendis contra Hæreticos Fidei Dogmatibus, impugnandísque Sectariorum erroribus, & nuncupatur *Polemica*; vel denique in Syndereseos, morúmque disciplina, & *Moralis* appellatur.

Cui nobilissimæ Facultati præcellentiæ meritô sanctior *Pontificij Juris Prudentia* succedit.

In harum autem Scientiarum regali quasi obsequiô ancillantur *Philosophia*, *& Mathematica*, *Historia*, & *Musica*, *Oratoria*, *Poëtica*, & *Grammatica.*

Istæ tam præstantes in omni genere Disciplinæ, si ratione, si linguâ, si voce pollerent, unanimes & gratissimæ profiterentur, quòd Benedictinæ Propagini vel ortum debeant & cunas, vel incrementum & splendorem, vel beneficam instaurationem, & vigorem, quem amiserant, redivivum.

At, quia nequeunt ipsæ loqui, nec vel ea mihi facundia, vel id lucubratiunculæ angustijs spatium sit, ut omnium queam Authorum pro dignitate merita, laudésque proferre; unum aut alterum ex *Antiquioribus*, è

Modernis autem paucos, aut *famæ* magnitudine, aut *Viciniæ* beneficiô duntaxat notiores, (nec hos tamen omnes) per classes suas distributos in medium adducam, ut ipsa sui memoria partæ quondam famæ reverentiam, & pretium nobis ingeneret.

Quô fine velim de Singulis illud intelligi, quod in Salustio legimus, graviter pronuntiante: *Carthaginem non alienis egere elogijs, cùm ipsa sui ipsius elogium sit.*

N. 11.

Illustriores Sacræ Scripturæ Interpretes.

QUemadmodum inter præclariora librorum monumenta, Sacer, quem ipse *Scientiarum* Spiritus dictavit, Codex primas usque tenet, ita Scriptores illi cæteris sunt meritò præferendi, qui Eundem, seu SACRAS UTRIUSQUE FOEDERIS PAGINAS locupletissimis commentationibus *illustrarunt*. Quô sanè in studio adeo Nostri (inquit Hæftenus) se indefessos exhibuerunt, ut alijs palmam præripuisse videantur; Dedit enim Ordo *olim* noster S. Matri Ecclesiæ decem Doctores, qui totam Sacram Scripturam à capite, quod ajunt, ad calcem suis lucubrationibus exposuerunt: Beda nimirum Venerabilis, Rabanus Maurus, Haymo Halberstadiensis Episcopus, Strabo, Anselmus Laudunensis, Rupertus Tuitiensis, Petrus Perchorius,

rius, S. Paterius, Hieronymus Lauretus, Isidorus Clarius Brixiensis.

Forsan ex his aliquos penitiùs averes cognoscere, audi proinde Ecclesiam in Breviario loquentem de Venerabili Beda: *nihil illi dulciùs erat*, quàm *divinas legere sedulò*, *& exponere Scripturas.* De Strabo loquentem Trithemium: *Strabus Monachus Fuldensis*, GLOSSÆ ORDINARIÆ *Author.* De Anselmo Laudunensi Hæstenum: *Hic* GLOSSAM INTERLINEAREM *composuit.* Perchorius omnia penè Scripturæ verba in suo Dictionario moraliter explicat, alteróque libro moralitates totius Sacræ Scripturæ plano stylo interpretatur. S. Paterius ex S. Gregorij Scriptis excerptiones in omnes veteris & novi Testamenti libros exhibuit. Lauretus Silvam Allegoriarum ad totius Sacræ Scripturæ intelligentiam ex Ss. Patribus conscripsit. Isidorus Clarius Græcè, Hebraicè, latinèque doctissimus, ex Monacho Casinensi Episcopus Fulginatensis, Sacra Biblia ad Hebraicam, Græcámque veritatem castigavit, & scholijs locupletibus illustravit.

Prætereo nunc alios clarissimos Doctores Gregorium Magnum, Alcuinum, Anselmum, Angelomum, Ambrosium, Ansbertum, aliósque innumeros in hoc studio diligentrissimè versatos.

Neque defuit nobis alter Hieronymus, qui Hebraismos, Hebræorúmque Chronica, & Rabinorum aliquot tractatus Latinis auribus daret, Gilbertus Genebrardus, hæreticorum

Expugnator acerrimus, & Scriptis Orbi notissimus.

De Joanne Abbate Monasterij Nivicellense loquitur VVion: *Biblia Concordantijs fundamenta posuit.*

Cujus Succenturiator *nuper* fuit V. D. Hubertus Phalesius, Cœnobij Affligenienſis Subprior, qui Anno 1685. Sacrorum Bibliorum Concordantiam ingenti cura & studio varijs locis expurgavit ac locupletavit.

Vicinia dedit *novissimè* Plurimùm R. P. Paulum Mezger apud S. Petrum Salisburgi Professum, Ss. Theologiæ Doctorem, ejúsdémque ac Sacræ Scripturæ in universitate Salisburg. Professorem emeritum, & Procancellarium &c. qui *Sacram Historiam de Gentis Hebraicæ Gestis expositam* edidit Anno 1700. Ejúsque Frater Germanus Josephus Mezger &c. *Institutiones in S. Scripturam, & Cornu Danielis.* Famâ innotuit. Illustrissimus ac R.mus P. D. Antonius Perez Archi-Episcopus Cæsar-Augustanus, qui nuper *Authenticam Fidem quatuor Evangeliorum*, præter alia plura, scripsit.

N. 111.

Theologi Scholastici Profundiores.

GOrdios SCHOLASTICÆ THEOLOGIÆ nodos feliciter dissolvêre ex *Antiquioribus*, RABANUS MAURUS; qui de

de Prædestinatione scripsit librum, quem hactenus nunquam editum edidit Ferdinandus Ughellus *to. 3. fol. 676.* Alterum item contra hæreses, ibidem: ubi expresè dicit: *Mala DEUS tantùm præscit, Bona prædestinavit. fol. 677.* ubi, teste R.mo DD. Georgio Geisler Abbate Villingano, videtur omnino negare præmotiones physicas.

S. ANSELMUM Sancta Mater Ecclesia in *Officio Eccles.* ita extollit: *Divinarum rerum contemplationi adeo deditus fuit, ut obscurrissimas, & ante id temporis inauditas de Divinitate quæstiones, DEO referante, clarissimè inspexerit, & explicaverit.* Dixerim ego de Divinissimis Ejus Scriptis illud commune: *quod verba, tot sententiæ!* quod apices, tot Oracula! Dignissima proin' quæ nuperrimè Eminentissimus noster à Guirre eruditissimis suis illustraret Commentarijs, hujúsque Exemplum plures posthac Benedictinæ Disciplinæ Alumni imitarentur.

Novissimè in hac solùm *Vicinia* quatuor integri Cursus Theologici lucem publicam subierunt; *Primi* Author est Celsissimus ac R.mus DD. Augustinus Reding Princeps & Abbas Einsidlensis: cujus incomparabilem præterea Religionis Catholicæ zelum, nec minùs profundissimam doctrinam loquuntur alij insuper in Tridentini, Baronij &c. defensionem typis vulgati Tomi.

Secundum composuit Clariss. ac Magnificus P. Benedictus Pettschacher ad S. Lambertum

tum in Styria superiore Prior, notæ doctrinæ Vir & probitatis.

Tertium vulgavit Clariss. P. Paulus Mezger suprà nominátus: omnes antehac Ss. Theologiæ Professores in alma Universitate Salisburgensi.

Quartum edidêre Cursum Admodùm RR. PP. Professores Theologiæ ad S. Gallum: in quo ipso etiam illustrissimo Monasterio elucubravit suum illum notissimum *Nodum Prædestinationis* Eminentissimus Sfondratus noster, quô seipsum planè superâsse videtur.

His adde Gregorium Sayrum Casinensem, Virum in *Moralibus* maximæ Authoritatis, & *famâ* notissimum.

N. IV.

Celebriores Iuris Canonici Collectores, & Interpretes.

LOcupletissimas in *Jus Canonicum* Exegèses, ac grandes tam mole, quàm Doctrinâ Commentarios concinnâsse, ac per hoc utilem toti Ecclesiæ, ac præsertim Jurisconsultis operam navasse Benedictinum Ordinem, nemo non fatebitur, qui consideraverit ab eo profluxisse tot Canonum, ac Decretorum *Collectores*, & Clarissimos PONTIFICIJ JURIS *Interpretes*. Inter *Antiquiores* autem, qui Sacros Canones collegerunt, primo loco (referente Hæfteno) ponit Baronius,

Anno

Anno 527., Dionysium Exiguum, nostri Ordinis Abbatem. Tertio loco Martinum Dumiensem, ac Bracarensem Episcopum. His addendus Sextus, S. Burchardus, qui libros viginti ex Ss. Patrum, & Generalium Conciliorum Sententijs, ac Pontificum Decretis composuit. Quantus verò fuit Gratianus, qui nobile illud Opus *de Concordantia discordantium Canonum*, sive, quod DECRETUM appellatur, incredibili prorsus labore compilatum, non minori etiam industriâ in eas Titulorum classes distribuit? quo Opere Juris Canonici Professores, præceptô Eugenij III. in scholis utuntur. Cujus gloriam æmulatus est Joannes Abbas Nivicellensis, qui præclarum Opus, & à nullo alio tentatum, Bibliæ, scilicet & Canonum Concordantiam, posteris reliquit, ùt suprà insinuatum. Quem alius Abbas, Lapus nomine, secutus est, qui omnium primus Sextum Decretalium, & Clementinas exposuit.

His omnino par, vel etiam Major fuit Nicolaus Tudeschus, Abbas Catanensis, Archi-Episcopus Panormitanus, & S. R. E. Presbyter Cardinalis, qui octo Tomis quinque Decretalium libros, Clementinas, aliáque multa ad Pontificium Jus spectantia explicavit, Juris *Lucerna* per Antonomasiam nuncupatus, quòd Ingenij sui luce amplissimâ inaccessam priùs obstrusissimorum textuum caliginem illustrârit.

E' *Modernis* in *Vicinia* claret P. Ludovi-

cus Engel, ex Monasterio exempto Mellicensi J. U. D. in Alma Universitate nuper Salisburgensi Procancellarius, ac Ss. Canonum Professor Ordinarius; cujus Collegium Universi Juris Canonici antehac juxta triplex Juris objectum partitum, nunc servato ordine Decretalium accuratiùs translatum, omnibus tam in Foro, quàm in Scholis apprimè utile ac necessarium, omnium Juris Studiosorum manu & ore occupatur: Huic anteà Manuale Parochorum, & Privilegia Monachorum præmiserat.

Cujus nuperrimè æmulus extitit & in eadem Cathedra successor Clariss. P. Robertus Kőnig è Garstensi Monasterio in Austria, qui idem Juris Collegium per causas explanatum, publico typo commisit.

Ante hos P. Ægydius Rambeck Schyrensis Monachus Ss. Canonum in prædicta quondam Cathedra Professor Opus insigne juridicâ doctrinâ edidit, *Panopliam Ecclesiasticam*, in Romana etiam Curiâ commendatum. Ipse quoque ad Benedictinorum Cœlitum Icones per Natalitios totius anni dies distributas historiâ exornavit, quam *Calendarium Benedictinum* inscripsit, Opus illustre, & Sancto Ordini apprimè glorioſum. Et hic est ille Benedictini honoris Vindex, quem noster Adversarius ignominosis adeo epithetis honorat, ùt suprà memoratum.

Nec prætereundum duco Doctissimum planè Romanum Hay, Oxenhusanum; cujus

in

in vendicandis antiquiorum ab Ordine avulsorum Monasteriorum Juribus solidissima Sacrorum Canonum notitia non sinè ingenti Ordinis nostri emolumentô Orbi innotuit.

Huc referri posse videtur *Collectio* illa *Maxima Conciliorum omnium Hispaniæ, & novi Orbis, Epistolarúmque Decretalium, necnon plurium monumentorum ad illa spectantium, cum notis, & dissertationibus, quibus Ss. Canones, Historia, Disciplináque Ecclesiastica, & Chronologia illustrantur. Curâ & Studio Josephi Saenz de Aguirre S. R. E. Presb. Cardinalis. Romæ, typis Jo. Jac. Komarck 1693. in fol.*

De quo præclaro sanè Opere Acta Eruditorum Lypsiæ publicata *1696. tom. 15. fol. 120.* ita habent:

Magnum Opus, longísque multorum annorum desiderijs expectatum, jam demum in Lectoris benevoli conspectum producimus. Ex quo enim instituti, nunc tandem ad finem omnibus exoptatum feliciter perducti, cognitionem ad litterariæ Reipublicæ cives, procerésque impressâ Salmanticæ Anno 1686. *Conciliorum notitiâ* pervenire Eminentissimus Author voluit, (quæ èt à nobis in Actis eruditorum Anni 1688. p. 71. optima fide fuit repræsentata) nemo rerum Ecclesiasticarum paulò ardentior fuit Amator, qui vitam, vires, & otium vasto huic Operi perficinedo necessarium, Viro, occupationibus Aulæ, inter Europæas facilè negotiosissimæ, satis præpedito, non precaretur. Cujus voti cùm tandem damnati

simus

simus propitijs fatis, ita ut manibus contrectare utilissimum Opus nunc liceat, ejus primum Tomum Lectorum nostrorum oculis jam duximus subjiciendum, dilatâ reliquorum repræsentatione in menses proximè secuturos.

Hujus *Collectionis &c.* tres jam Tomi in lucem prodiêre.

N. V.

Philosophi Acutiores.

IN Philosophiæ discutiendis subtilitatibus multi multam, eximiámque collocarunt operam, præ cæteris autem omnibus tulisse palmam videtur *olim* PERIONIUS, *qui Philosophiæ Aristotelicæ Curriculum ex græco in latinam linguam eô Ciceroniani Styli nitore vertit, ut deinceps Philosophi, qui antea* (teste VVion.) *infantes erant, latinè loqui cœperint, & paulatim repudiatis versionibus & formulis antiquiorum, barbariem dediscere, quâ eorum disciplinæ, & libri horrebant.*

Hodie vel *famâ*, aut *Vicinià* innotuêre Eminentissimus S. R. E. Cardinalis Josephus Saenz à Guirre, qui Philosophiam suam, in Universitate Salmanticensi traditam, nuperrimè luci commisit publicæ. Eminentiss. & Illustrissimus Cœlestinus Sfondratus Cursum Philosophicum Monasterij S. Galli, tribus tomis comprehensum, composuit, ac vulgavit typis ejusdem Monasterij 1696.

P. Henricus Heinlin Philosophiæ in Uni-

ver-

versitate Salisburgensi Professor intra brevem biennij periodum, omnem Philosophiam complexus, typis edidit.

Eandem Stylo limpidissimo secundùm mentem Doctoris Angelici elucidavit P. Placidus Renz VVeingartensis 1697. P. Corbinianus Kamm professus ad Ss. Udalricum & Aſram Augustæ in pulvere scholastico ac cumprimis philosophico tanquam Veteranus difficultates Summulisticas, hactenus penè neglectas ad incudem denuo revocavit, eásque dexterrimè solvit, & penitus exhausit: Anno 1699. Mulcorum desiderijs hoc ipsô, quo ista scribo, anno expectatur Philosophia jam jam sub prælo sudans; quam juxta methodum Salisburgensis Universitatis concinnavit P. Ludovicus Babenstuber Ettalensis, in eadem Universitate actualis modò Theologus; Vir consummatæ in omni genere doctrinæ & probitatis.

N. VI.

Historici Notiores.

IN consignandis Posteritati temporum superiorum Historijs tantæ fidei, solertiæ ac judicij pariter defœcati Nostri extitêre, ut à Regibus ideirco, & Principibus in summa sint veneratione habiti, &, teste VVion, lege communi ac decreto cautum fuerit apud Gallos, Anglos, & Scotos, Monasteria, inprimis verò San-Dionysianum, Albanense, & Sant-Adreanum, quasi communem thesaurum

&

& receptaculum debere esse, ubi reponerentur, ac fideliſsimè reſervarentur omnia hiſtorica geſta illius Regni, & quæcunque memoria ac famâ digna essent, possent memoriter ſtatim expedire.

Addit Hæftenus, eam fuiſſe Benedictinorum Cœnobitarum in annotandis rerum ſuo, & præcedenti tempore geſtarum hiſtorijs, diligentiam, eam in deſcribendis, vel in Epitomen contrahendis priorum Chronographorum monumentis fidelitatem; ut penes eos veterum Annalium Repoſitorium, & *Sanctæ Eccleſiæ Archivum* fuiſſe videatur. Hinc ſcilicet prodierunt Chronographiæ, & Chronica Noſtrorum, Sigeberti Monachi Gemblacenſis; Mariani Scoti, Fuldenſis; Hermanni Contracti, Augienſis; Reginonis, Abbatis Prumienſis; Lamberti Schafnaburgenſis; Anaſtaſij Bibliothecarij; Leonis Oſtienſis; Petri Diaconi; Dodechini, Abbatis S. Diſibodi; Roberti, Montenſis, Roperti, Remenſis; Joannis Trithemij Abbatis; Annonij, ſeu Aimonij, S. Germani; Helinandi, fontis frigidi; Mathæi Paris, Albanenſis; Mathæi VVeſt-monaſterienſis; Thomæ VValſinghamij, Albanenſis; VVitichindi, Corbeienſis; Ottonis San-Blaſiani; Guntheri Ligurini, S. Amandi; Pauli Langij, Bozauvienſis, *& aliorum infinitorum Monachorum, qui in hoc præclaro ſcribendi genere, laudem omnem aliis præcipuerunt: in quo certè ita eorum diligentia enituit, ut, qui hiſtorias, &*

maxi-

maximè antiquiorum, legere voluerit, vix aliorum nomen inveniat, quàm Monachorum.

Quid? quòd pleræque Sanctorum vitæ, quas Surius refert, à Benedictinis Monachis scriptæ legantur?

Si fortè ignores, unde *Martyrologia* sua habeant exordia, progressus & incrementa? Evolve Bedam Venerabilem, Florum, Usuardum, VVandelbertum, Ægidium de Dammis &c. & disces, his unis fere Benedictinis ea deberi. Hactenus de Historicis nostris *Antiquioribus.*

E' *Modernis famâ* notiores sunt D. Lucas de Achery, Mabillonius, eorúmque è Congregatione S. Mauri in Gallia Socij: de quibus Acta Eruditorum Anno 1686. f. 57. sic habent: *Ut Benedictini Ordinis, cujus de Congregatione S. Mauri sacraneum, se profitetur, Historiam Ecclesiasticam conderet, omnibúsque ejus Alumnis Majorum exempla, tanquam statuam Mercurialem ob oculos poneret Joannes Mabillonius, indefessus antiquitatum Ecclesiasticarum Excussor, ac Propalator, cum Luca Acherio Viro reconditæ antiquitatis & ipso studiosissimo, Vitas Benedictinorum hincinde conquisivit, conquisitósque edidit, ac notis, observationibus, indicibúsque necessarijs illustravit &c.*

His in exornanda de Ordine nostro Re Historica facem prætulit dudum Antonius Jepez Hispanus, septem integros tomos *Annalium Benedictinorum* idiomate scribens Hispanico, è quibus geminos Thomas VVeiss *Nerisheimensis,*

sis, linguarum peritiâ & eruditione clarus, latinitate donavit.

Suô quoque Chronicô notissimus est Gilbertus Genebrardus Aquensis in Gallia Archi-Episcopus, Prior antehac Semuriensis Monasterij: de quo inferiùs plura.

In *Viciniâ*, enituit eruditissimus P. Gabriel Bucelinus *Weingartensis*, de Germania cum Sacra, tum prophana, ac ipsa etiam Religione Benedictinâ meritissimus.

Nec prætereundam duco nobilissimam Triadem fratrum Germanorum, Josephi, Francisci, Pauli Mezgerorum: quorum primus scribendæ *Historiæ Salisburgensi* manum admovit, & magno prorsus labore usque ad Archi-Episcopi Ernesti tempora perduxit. Ibi ut scribendi, & vivendi finem faceret, postquam fata voluerunt: fraterno Operi, & oneri superstites duo fratres Germani Franciscus & Paulus succollarunt, & reliquum Operis perficiendum susceperunt.

Verùm ad Jepezij mentionem, frontem contrahit, capitque jactat meus, qui Tractatui huic occasionem dedit, Adversarius, ac ejusdem vitij, quô toties ipse laborat, arguit Virum de re Historica optimè meritum, adducítque Eminentissimum Cardinalem Bonam, quòd dixerit, *Iepesium in multis corrigendum esse.* Novum hoc scilicet, & inauditum hactenus cespitantis fortè Jepesij delictum est, nec veniâ dignum! licèt ipse Jepesius de fide in rebus historicis, præsertim antiquiori-

bus,

bus dubiâ frequenter conqueſtus ſit, omniúmque aliarum ſcientiarum, fortè minùs utilium materias, publico examini exponi, & diſputationibus, unius Rei Hiſtoricæ exceptâ. Exhibeat (quæſo) Adverſarius è tot millibus Hiſtoriographum, tractantem de rebus *antiquioribus*, cujus in univerſis ac ſingulis Authoritas ſacro-ſancta, & veritas irrefragabilis, fidéſque ſit prorſus indubitata. Quantam à centum, dum ſcripſit Jepeſius, annis res hiſtorica lucem acceperit, norunt Illi, qui huic ſeſe ſtudio ardentiùs devoverunt.

Nulla planè in re ceſpitare proniùs eſt, quàm hiſtoricâ: præſertim ſi caligo eam *Antiquitatis* inſuper obfuſcat.

N. VII.

Mathematici celebriores.

IN Matheſi diverſis diverſi floruerunt ætatibus. Gerbertus Epiſcopus Rhemenſis *olim* compoſuit *Horologia* & *Organa hydraulica*: eorúmque neglectam, & ab hominum memoriâ abſconditam praxin in uſum revocavit: qui etiam plura ſcripſit de *Arithmetica*, de *Sphæra*, & compoſitione *Aſtrolabij*.

Dionyſius exiguus *Cyclum paſchalem*, & morem computandi annos à Nativitate Domini N. JESU Chriſti primus excogitavit.

Nicolaus de Donis Monachus Richenbacenſis *Ptolomæi Tabulas*, totámque *Coſmographiam* reparavit.

Fama hodie plures è Nostris celebrat in Universitate Paduana &c.

Vicinia veneratur Marianum Schott Einsidlensem, pluribus opusculis clarum; nec-non Ottonem Aicher ad S. Vitum in Bavaria Ethicæ & Historiarum in Universitate Salisburgensi Professorem.

N. VIII.

Musici præstantiores.

VEterum nonnulli somniârunt, harmonico resonare concentu cœlestem Sphæram; hoc cum Fidei Articulis apud nos repugnet, Musicam substituo, quam eximiè coluerunt Nostri.

S. Gregorius M. Juventutem, ut Pontifex quoque in cantu instruere non est dedignatus; & Cantum firmum, qui ab eo *Gregorianus* dicitur, in Ecclesiam invexit.

Guido Aretinus, Abbas primùm, postea S. R. E. Purpuratus Princeps, vulgatissimas Notas musicas, *Ut*, *Re*, *Mi*, *Fa*, *Sol*, *La*: inexplicabili Musicæ, tum adhuc in cunis vagientis, & apertiorem in lucem exire gestientis, compendio excogitavit.

Engelbertus Trevirensis S. Mathiæ Cœnobita Musicorum facilè Antesignanus, præclara de Arte Symphoniaca, & Monochordo Syntagmata posteritati reliquit.

Sacræ *nuper* Harmoniæ Magistros in *viciniâ* sese præbuêre, datis in lucem præclaris Musices

sices Operibus; Leopoldus à Plavven, *Zvvifaltensis*; Valentinus Molitor, *San-Gallensis*; Antonius Ziggeler, *VVeingartensis*; Fidelis Molitor, *VVettingensis*; Georgius Geisler *Vilingensis*; Maurus Moser, *San-Trudpertanus*; Bernardus Rauchenstein *Petrhusianus*; Romanus VVeichlin, *Lambacensis*; Cajetanus Kolberer, *Andecensis*; Antonius Holzmann, *Schutteranus*; Udalricus Nüechten, *Mellicensis*; qui, dum Opus suum musicum sub typo Franciscei Straub Constantiæ sudaret, morbô interceptus, piè in Domino defunctus est; Ejus tamen frater Germanus Philippus Nüechten sæcularis &c. prælô illud Ulmensi perfici, & in lucem edi curavit, suúmque proprium præfigi nomen; sed perperam, & liberali nimis in fratrem defunctum confidentiâ.

N. IX.

Linguistæ peritiores.

PRæclariora variarum Gentium Idiomata calluerunt *olim*, tradiderúntve Dionysius Exiguus Abbas Romanus; Hermannus Contractus &c. At quantus, quæso fuit, Constantinus Afer, Sacri Montis Casini Monachus? verè Polyglottos, inquit Hæftenus; Hebræam quippe, Syram, Chaldaicam, Græcam, Latinam, Italicam, Persicam, Arabicam, Ægyptiacam, Æthiopicam, & Indicam Linguam perfectè noverat: Hic Grammaticâ, Dialecticâ,

lecticâ, Rhetoricâ, Geometriâ, Matheſi, Aſtronomiâ, Muſicâ Phyſicâque Chaldæorum, Arabum, Perſarum, Saracenorum per triginta novem annos edoctus, Orientis, & Occidentis Magiſter, novúſque Hypocrates Orbi effulſit. Factus enim Monachus, ex diverſarum Gentium Linguis plurima tranſtulit, ipſéque alia ad Medicinam pertinentia conſcripſit.

Inter Linguiſtas *nuper* enituit Joann. Caramuel non modò Latij, ſed Hebraicæ, aliarúmque Linguarum, teſte Ughello, peritiſsimus.

In *Vicinia* claret *hodie* Hermannus Schenck San-Gallenſis, Latinè, Græcè, Italicè, Gallicè, Hiſpanicè egregiè doctus: quem nuperrimè Auguſtiſsimus & Magnus LEOPOLDUS noſter, tantâ Viri famâ permotus, in Bibliothecarium expetere clementiſsimè dignatus eſt.

En! Syllabum eorum librorum, quos *compoſuit* vel ipſe, vel ex alieno idiomate *vertit.*

Compoſuit Hiſtoriæ Monaſterij S. Galli tomum III. in 4.
Epitomen Hiſtoriæ Monaſterij S. Galli. in 4.
Epitomen, ſeu Hiſtoriam fœderum Helvetiæ. in 4.
Acta Monaſterij S. Galli, ſeu Jura ſecundùm Chronotaxin. fol.
Vitam Cardinalis Sfondrati.

Ephemerides Euchariſticas: in quibus ad ſingulos anni dies enarrantur practici modi

colen-

colendi Ven. Sacramentum, aut singulares Gratiæ concessæ Sacramentum devotè colentibus. in 4.

Practicæ Industriæ amandi, colendi, imitandi Christum patientem. in 4.

Centuria selectarum Historiarum ex varijs Authoribus, & linguis latinè edita. in 4.

Ex Gallico vertit.

Historiæ funestæ nostri temporis du Bellaij. in 12.

Vollkommenheit deß Christenthumbs: P. Rapini S. J. in 12.

Devotio montis Calvariæ, Grassetti S. J. in 8.

De Amore Jesu: Nepueu. in 8.

Leben Benedictæ de Passione Ordinis S. Benedicti. in 4.

Vera & solida devotio complectens Scientiam Christiani circa septem Sacramenta. Beuveletti. 8.

Instructio Novitiorum Congregationis S. Mauri. in 8.

Dubia Historica Mabillonij circa Historiam Ecclesiasticam. 4.

Dissertatione duæ Mabillonij de præcedentia inter Benedictinos, & Canonicos Regulares. in 4.

Historia Omnium Conciliorum Trilloti. in 4.

Spiritus Christianæ Religionis: Rapini S. I. in 8.

Dissertatio Chronologica de anno Nativitatis Christi. Baronis de Notle. in 4.

Magnum Salutis negotium. Rapini S. I. in 4.

Von dem Glauben diser letsten Zeiten. Ejusdem. in 4.

Weegweisung zum innerlichen Leben. in 8.

Glückseelickheit einer Seelen/die GOtt in dem Gebett gefunden. 8.

Leben Mariæ Amatæ de Rabutin:

Item Helenæ de Chatelus, Monialium Visitationis B. V. MARIÆ.

Ex Græcis.

Grammatica Chrysoloræ. 4.

Capita Paræneticа S. Nili. 8.

Ex Italico.

Indrizzo per caminar alla perfettione d'amore.

Anleitung zur Vollkommenheit der Liebe. 8.

Ex Hispanico.

De Apparitione Spirituum: Authore Onuphrio Manescal Cathedratico Universitatis Barcinonensis.

De Jubilæo Dubia.

N. X.

Oratores facundiores.

IN Palæstra Oratoria eminuerunt *olim*: Cassiodorus, Theodorici Italiæ Regis Cancellarius, Romanæ Urbis Senator, & Consul, postea Abbas Monasterij Ravennatis; qui omnes seculares disciplinas, & maximè eloquentiam in obsequium Christi convertit.

S. Bardo Abbas, ob mirificam pro concione eloquentiam alter Chrysostomus fuit appellatus.

Antonius Picoth Episcopus, & Concionator, ac Consiliarius Henrici III. Regis Galliarum celeberrimus extitit.

Vicinia nuper suspexit Romanum Myller Abbatem Seonensem Virum, teste Mezgero, raræ eruditionis, & eloquentiæ; quam produnt gemini libri, *Sympateticon*, & *Olor Laureatus*, nuncupati.

Pontianus Schyz Ottoburanus edidit *Artem expeditam quacunque in materia Dialecticè & Rhetoricè discurrendi* &c.

Iter Oratorium vulgavit Otto Aicher; Rhetorices antehac in Universitate Salisburgensi Professor; item *Florilegium Sententiarum Oratoriarum* &c: *Notas* quoque *in Ciceronis Philippicas* &c.

N. XI.

Poêtæ feliciores.

PArnassum coluerunt divite celebres venâ *olim* Rhabanus Monachus Fuldensis Archi-Episcopus Moguntinus: cujus toties usque huc adducti non possum hoc loco prætcrire encomium, quod Doctissimus Gretscherus *S. I.* tribuit Rhabano; hunc (ait) tantum extitisse Virum, *cui similem nec Italia, nec Germania unquam pepererit.*

B. Albini Flacci Alchvvini Abbatis, *Caroli Magni* Imperatoris Magistri, Poëmata quædam reperire est in *Historia Salisburgensi lib. 6. fol. 1131.*

Inter *antiquiores* tamen omnes mentem, oculósque rapit meos Sanctioris Alumnus Palladis, & Matris ter admirabilis MARIÆ Corculum, Hermannus Contractus; cui non Pegasi ungula, sed Virginis IMMACULATAE Gratia venam aperuit, & puriori fonte liquorem instillavit Apollineum: unde mirari desine, quòd ex ejus mellitissimo ingenio suavissimum illud, quod in universa nunc Ecclesiâ tenerrimo Fidelium sensu frequentatur, *Salve Regina* &c. promanârit: cui ne quid suavitatis deesset, ultimas voces: *O! Clemens! O! Pia!* &c. mellifluus Abbas Clarevallensis, pullus èt ipse Benedictino MARIAnus, subjunxit. Hujus Hermanni fl grantissimis præterea amoribus debemus èt alteram solemnem in Ecclesia

DEI

DEI *Antiphonam*, metro *poëtico* contextam: *Alma Redemptoris* &c. quâ nimirum, ſicut èt priori potiores per annum Canonicarum Horarum preces finiuntur, ut quandam Benedictinæ hinc Pietatis zelus æternitatem adeptus ſit.

Hymni, *Ut queant laxis* &c. Paulus Diaconus, Caſinenſis Monachus Author fuit. Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus Hymnum, *Gloria, Laus, & Honor* &c: quem in Dominica Palmarum Eccleſia canit, itémque & alterum: *Vexilla Regis prodeunt* &c: compoſuit.

Inter *modernos*, quos *Vicinia* tulit, Poëſeos Magiſtros, palmam alijs facilè præripit Thomas Mezler *Zvvifaltenſis*: qui nemini hac ætate quidquam cedit ſive ingenium ſpectes, aut artificium eviſceres. Scripſit Opuſcula plura, quorum aliqua lucem viderunt; ut:

Stauroſophia, ſive, Artificium poëticum ſapienter ferendi res adverſas. *Friburgi Briſgoiæ. Typis Theodori Majeri. Anno 1652.*

Epigrammatum ſacrorum libri 4. de varijs Sanctorum variorum Geſtis &c. *ijſdem typis Anno 1650.*

Periphraſis Poëtica in 5. libros Pſalmorum Davidicorum. *ijſdem typis. Anno 1651.*

Odæum literatæ Juventutis in 6. libros diſtributum. *Typis prioribus, eod. anno.*

Joannis Gerſen de *Imitatione Chriſti* libri 4. elegiacè redditi. *Typis Joan. Mommarti Bruxellis 1699.* libellus Philippi IV. Hiſpaniarum Regis privilegiô comitatus.

Cæterùm, plura meditatus est acutissimus iste Mezlerus typis exprimere, sed fata intento pessulum obduxerunt: præter alia multa, quæ alibi in Monasterijs hinc inde studiorum causâ versatus, composuit, ejusmodi sunt:

Scipio Teutonicus.

Triviæ bonitatis Angiportus.

Josepheidos (libellus sanè luce publicâ præ cæteris dignissimus.)

Lacrymæ Divorum Joachim & Annæ.

Vita Bonæ Elisabethæ Rythensis.

Hygiasticon.

Sylvarum Libri 4.

Lyricorum Libri 4.

Isagoge Novitiorum.

Stromatum libri 3.

Athanasius Gugger Sanct-Gallensis *Sacras Odeas*, seu, elegantissimos Hymnos de omnibus totius Anni Sanctis, aliáque plura composuit, ac typo mandavit.

Cujus *nuper* Discipuli Humaniorum in eodem illustrissimo Monasterio Professores consummatum de *Re Poëtica* Opus concinnarunt: quod plurimorum votis, ut in aprieum tandem eluctetur, summopere expetitur.

Otto Aicher ad S. Vitum cis Rotham in Bavaria *Iter poëticum* expedivit; *Notas* item in Livium, Curtium, Virgilium, & Senecæ tragœdias: *Florilegium* quoque illustrium Sententiarum ex Poëtis &c.

XII.

N. XII.

Grammatici Accuratiores.

PRima latinæ Linguæ posuerunt *Rudimenta*, & in varias Regiones, Germaniam cumprimis, traduxerunt, auxerúntque novis Legibus *olim*

Cassiodorus Abbas.
Alcuinus.
Venerabilis Beda.
Hermannus Contractus.
S. Anselmus.

Quibus suam *nuperrimè* operam addiderunt Patres Sanct-Gallens, Grammatices leges Discipulorum captui facilius accommodando: ut adeo nullum sit prorsus Doctrinæ genus, quod eruditissimorum horum industria Patrum non constanter excolat, cum grandi equidem Rei literariæ fructu, ac emolumento.

N. XIII.

Quinque Sibyllæ.

SInistrè mihi, credo, verterit Nemo, si coronidis loco subjiciam quinque prudentes Virgines, veterum Sibyllarum æmulas, iisque Sanctitate longè majores: S. Elisabeth Schönaugiæ Abbatissam, S. Hildegardem, S. Gertrudem itidem Abbatissam, S. Mechtildem, & Rosvvidem Sancti-moniales: quarum priores quatuor Prophetiæ Spiritu, Sanctitatis glo-

gloriâ, & Literarum monumentis clarissimæ fuerunt. Roſvvidis verò Poëtria Græcè, & Latinè doctissima, Oratores dicendi arte supergressa, Poëtarum sui temporis nulli inferior, multa versibus composuit, Virginésque sacras ad continentiam hortando, Comœdias sex composuit, Laudes B. Virginis MARIAE, & S. Annæ, aliorúmque Sanctorum diverso metri genere. Quamvìs autem gentilis Vates (*Iuvenal. Satyr. 6.*) cecinerit, haud sibi placere fœminam, quæ

—— curtum sermone rotato
torqueat enthymema:

Nobis tamen Hæc, & quæcunque ei similis, meritò videtur eximium Ordinis nostri Ornamentum, &

Gloria fœminei, & decus admirabile Sexûs.

E *Modernis* adjicio Joannam Mariam Bonhomiam, eruditionis etiam latinæ non minùs, quàm Sanctitatis *famâ* celebrem. Obijt 1670.

N. XIV.

Suffragium R. P. Dominici Musantij S. I. de Literarum per Nostros propagatione, & librorum antiquiorum utilitate.

Cæterùm ijs, quos hactenus ex Ordine nostro adduximus, Scriptoribus non infimæ duntaxat Syntaxeos, sed potiorum Scientia-

tiarum in varijs Regnis propagationem, introductionémque deberi, insigni docet Suffragiô R. P. Joannes Dominicus Musantius, S. I.; qui in Face chronologica *tabula 4.* sic scribit: *Saculo* 700. & 800. *Beda Venerabilis, ejúsque discipulus Alcuinus Grammatica scribunt. Rhabanus Maurus, Hilduinus Abbas, Oratores, Poëtæ. Beda Philosophiæ 4. libros scripsit. Alcuinus Flaccus, & Ioannes Scotus, Bedæ Discipuli, Philosophiam in Academia Parisiensi professi sunt, & in omnem fere Europam propagata est.*

At (tacitus cogitabis) plerique ex assignatis Authoribus sunt antiqui, ac effætam præseferunt senectutem, quæ nihil vividum, nihil generosum, nihil delicatum spirat.

Quisquis ita tecum ipse judicas, (da veniam) erras sanè: non hac ego te censurâ noto, sed justissimus & nullo partium Studio corruptus Arbiter: ausculta paululùm, quid sentiat hac in re sincerus Antiquitatis Cultor, prælegatus Musantius: *hoc ævo* (inquit citato loco) *fortassè Literis obest nimia librorum copia, quæ nos inopes facit Sapientiæ; quia dum novorum multitudine occupamur, optimos veterum plerumque negligimus.*

N. XV.

N. XV.

Copia Scriptorum Noſtrorum.

POſitos hactenus Numeros, & Authores poſtquam inſpexeris, Amice Lector! ne credas, meminiſſe nos omnium, quos omni ætate Hiſpania, Gallia, Italia, & omnis hactenus Orbis tulit; vel quos reperiat Ille, qui omnium populorum Faſtos, Annales & Ephemerides in cunctis ubique Gentium Bibliothecis luſtraret: experiretur enim talis, vix Codicem eſſe antiquiorem, cujus frons non Monachi titulô fulgeat; nec, à veritate alienum eſſe, deprehenderet, quod eruditiſsimus Nonnemo è nominatiſsima JESU Societate vivâ voce palàm teſtatus eſt: *intra mille ſcilicet annos tam copioſos, & utiles libros haud editum iri, quot ab Ordine Benedictino jam ſint editi: hinc ſcribi, dicíque hac modò ætate vix aliquid poſſe, quod à Noſtris non abundè ſcriptum, dictúmve fuerit.*

Tradit VVionius ex Hiſtoricorum fide, fuiſſe noſtri Ordinis quindecim millia Authorum, Scriptis & eruditione celebrium. Alij numerant ſolos Abbates Doctores ſupra quindecim mille ſeptingentos; & hos quidem ante artem typographicam: quæ ubi ſub exordium Ordinis extitiſſet, nullus propè foret in Orbe angulus, quem Monachi codex non exornaret.

Hujus

Hujus ut documentum aliquod capias, accipe Hæfteni verba: *lib. 9. disq. Monast. tr. 2. disq. 4. Nostri* (inquit) *omnis generis libros tum sacros, tum profanos, quin ipsa Biblia ab interitu vindicarunt; in una Bibliotheca, Sanctissimo Patre nostro vix mortuô, reperta sunt 6700. volumina manuscripta à Monachis. Fuldæ sub Abbate primo fuerunt 400. Monachi, omnes occupati conficiendis libris.*

Quapropter

Sol priùs oppositas perfundet lumine terras, quàm reliquorum Nos Authorum cumulum in numerum, & chartæ hujus angustias redigamus: ex *Antiquioribus* certè unum aut alterum duntaxat produximus; ex *Modernis* verò tantùm aut *Famæ* magnitudine, aut *Vicinia* beneficiô notiores; nec hos etiam omnes, quòd reliquos aliud, quod molimur, maneat Opus.

N. XVI.

Arnoldi VVionij de Scriptoribus nostris Iudicium.

HAbuit Religio Benedictina (inquit *lib. 2. Ligni Vitæ c. 61.*) in quo gloriari possit, & verè debeat, citra alterius injuriam. Habuit in omni ætate suos Marones, Homeros, & Ciceriones, etiamsi defuerint Illi Mecænates. Habuit & suas Bibliothecas loquentes, atque (ut ita dicam) apes aureas. Habuit & in Arcanis Sacro-Sanctæ Triadis enodandis, & Divinitatis ineffabilibus Sacramentis

tis elucidandis, suos Augustinos, & Hieronymos, ita ut verè de Illa dici possit, in Ea illam disciplinarum pene omnium fuisse intelligentiam, quam olim in Catone Cicero ipse *in Academicis lib. 1.* ingenuè agnoscebat. Quod eò magis in Illa admirandum est, quoniam Veteres illi Monachi de industria se se à Literis removebant, quo se totos in una rerum cœlestium contemplatione abderent: ut de S. P. N. Benedicto, narrat Gregorius. Sed tamen neque illo tempore, neque unquam in Ea defuere Eruditi. Et ut quasi cursim omnem Religionis Benedictinæ ætatem ab initio inspiciamus, ut eorum multitudinem & copiam videamus, qui in doctrinarum studijs magni fuerunt, inter innumeros multiscia eruditione probè instructos Monachos, præ cæteris (de antiquioribus sermo est, recentiora namque contrectare ausi non sumus, multorum offensione vitandâ) excelluerunt S. Gregorius Magnus, in quo invenies, & demiraberis facilitatem; in Bercorio, simplicitatem; in Blosio, sanctitatem; in Cassiodoro elegantiam; in Anselmo, candorem; in Rabano, ingenium; in Trittemio, varietatem; in Paulo Diacono, acumen; in Radulpho, eruditionem.

Dicit Sigebertus diligenter; Marianus leniter; narrat apertè Contractus; eloquitur graviter Ligurinus; appositè Folengius; Clarius luculenter; Panhormitanus scitè; Ferdinandus splendidè; Cortesius apertè, acutè & nitidè; Joachimus Perionius, philosophicè;

cujus

cujus incude expolita jam purè loqui didicit Philoſophia. S. Bernardi caſto ſermone, Theologia melle dulciùs concionatur ; Litteratura Dionyſij, & Gereberti Matheſi rubiginem deterſit. Conſtantino duce Medici, & cum eloquentia morbos curant. Præeunte Aretino, omnes Muſicæ partes cantabunt.

Quid de Laureato Hiſpano, qui tot Singularia in ſua Sylva in unum conjecit? Quid de Venerabili illo Beda, qui alter Ptolomæus in Coſmographia, alter Alcabitius in Aſtrologia, alter Cicero in arte dicendi, alter Bias in Philoſophia, alter Livius in Hiſtoria, dici poteſt? & unum dicere non pigebit, quod nec majorem, nec parem recipit Benedictina Religio, nec ſimilis inveniri poteſt. Nec tamen ſingulis has ſolas virtutes ineſſe exiſtimo, ſed his inſigniores, cùm nemo ex eis & proſa, & verſa oratione non polleat. Nemo item quin ſit aut Medicinæ, aut Philoſophiæ, aut Juris, aut Theologiæ conſultus, omnes ferè atticiſſantes, plerique Hebraicè periti, & Caldaicè, & multi eorum Græcam linguam, tanquam maternam habentes &c. Ita Wionius *lo. cit.*

N. XVII.

Testimonium Hieronymi Plati

S. I. de Scriptoribus Benedictinis.

ITerum alienum pro nobis hac in re produ-cimus testimonium, ne forsan jactantiæ potiùs, quàm studiô veritatis tribuisse quidpiam per domestica duntaxat videamur.

Exhibet illud celeberrimus S. I. Scriptor Hieronymus Platus, *lib. 2. c. 23. de Bono Statûs Religiosi* ita in rem nostram differens: Jam sunt (inquit) mille & septuaginta anni, ex quo Benedictinus Ordo natus est. His igitur undecim ferè sæculis, mirum certè est, quàm multos semper, & quàm præstantes in omni doctrinæ genere produxerit Viros. PRIMÔ enim SAECULÔ, id est, usque ad annum Domini sexcentesimum, viguit, ut scimus, CASSIODORUS (de quo supra diximus: nempe *lib. 2. c. 25.* ubi sequentia habentur:) Cassiodorus, antea Ravennæ Urbis Senator, & Theodorici Italiæ Regis Cancellarius fuit: à quo post occisum Bohetium abhorrens, eúmque unâ cum mundo deserens, Classense Monasterium ex Benedicti instituto adhuc admodùm recenti fundavit: eíque se insuper dicavit, ut in omni priùs sæculari literatura peritus, postea verò etiam divinâ, quod adhuc ejus Opera ostendunt. Vixit anno Domini 550. Eíque æqualis DIONYSIUS cognomento *Parvus*, vir sui temporis eruditissimus, tum divinis, tum etiam

etiam humanis literis, quod ostendunt scripta ab eo relicta. Eodem tempore GREGORIUS Magnus, GREGORIUS Turonensis, & LEANDER Hispalensis, satìs adhuc per se noti. De Gregorio autem Magno sic *lib. 2. cap. 25.* habetur: GREGORIUM verò Magnum, qui annis ante Cassiodorum quinquaginta fuit, quis dignè laudare possit? aut quis satìs admirari illam sanctitatem, illam etiam doctrinæ ubertatem, quæ se per tot libros admortalium utilitatem effudit? Atque hujus etiam ætate vixit GREGORIUS ille Turonensis, ad eam cathedram Episcopalem ex Monacho effectus, cujus doctrinæ multa adhuc extant monumenta. De LEANDRO Hispalensi vide Joannem Trithemium *de viris Illustribus Ordinis Divi Benedicti. lib. 2. cap. 9.*

Lib. 2. cap. 32. SECUNDO SAECULO, à sexcentesimo ad septuagesimum, multùm, ut accepimus, claruit CAESARIUS in Galliâ, EUTROPIUS in Hispaniâ, in Lusitaniâ JOANNES GERUNDENSIS Episcopus, in Scotiâ ADAMANNUS Abbas, in Angliâ THEODORUS, qui Romæ Monasticam vitam professus, à Vitaliano Pontifice Cantuariam destinatus est septimus Archiepiscopus, cujus de Laudibus Beda sæpè.

TERTIO SAECULO, usque ad annum Octingentesimum, BEDA ipse notissimus libris scriptis: tum BONIFACIUS ille Germaniæ Apostolus, quem non sola sanctitas, sed insuper etiam eruditio illustravit. Deinde ÆGI-

DIUS Abbas, natione Græcus, idem Philosophus ac Poëta, quin etiam Medicus insignis, quippe qui multa de arte Medicâ Carmine scripserit. Imprimis autem ALCUINUS, qui suæ ætatis doctissimus habitus est, CAROLI Magni Magister: ita ei Charus, ut eum delitias suas appellaret: cujus etiam prudentiæ Parisiensem Academiam, quam Româ illuc transtulerat, ordinandam commisit. Idemque multa edidit, tum in sacram scripturam, tum suopte ingenio. Quo eodem tempore floruit etiam PAULUS DIACONUS, Author celebris hymni in S. Joannem Baptistam, pluriúmque librorum, quorum pars adhuc extat. Hic priùs Desiderij Regis Longobardorum familiaris & Secretarius fuit. Deinde unà cum ipso à Carolo Imperatore captus, & in Italiam abductus, servatus tamen est ab ipso hoste ab ingenij famam. Postea in Insulam relegatus, cùm fugâ evasisset, etsi Beneventi ab Aldeberga desiderij filia exceptus esset benignè, & honorificè: tamen sæculô contemptô, in Casinense Monasterium sese recepit. Quod Carolus ipse audiens, magis etiam eum deinceps amasse, & coluisse dicitur, ac cum eo sæpè per litteras humanissimè communicasse.

QUARTO SAECULO, usque ad annum 900. insignis fuit HAYMO Monachus Fuldensis, postea etiam Episcopus, Alcuini auditor, omnino inter doctissimos numerandus: qui totam scripturam commentarijs illustravit, aliáque propria ingenij monumenta reliquit. Neque

que huic inferior RABANUS, ex Fuldensi Abbate Archiepiscopus Moguntinus, qui justam pene bibliothecam solus edidit. Nam cum puer adhuc ab ipsis parentibus Fuldensi Monasterio oblatus esset, tantum in Poësi, in Philosophia & in sacris litteris profecit, ut in totâ Germaniâ, fortasse etiam toto orbe, nullus ei æqualis putaretur. Cui tamen ùt tempore, sic ingeniô proximi fuêre (ut alios complures omittamus) ANGELOMUS Luxovienſis, notus ipse quóque ex libris scriptis. Et STRABUS Fuldensis, cujus opus dicitur esse *Glossa*, quæ *Ordinaria* vocatur, ex sanctorum Patrum scriptis concinnata.

QUINTO SAECULO, ab anno 900. ad millesimum, celebratur inprimis ODO Abbas Cluniacensis, divinis & humanis litteris eruditus: HERIGERUS Abbas Lobbiensis, non in Gallia solùm, sed tota Italia & Germania, ob doctrinæ opinionem celeberrimus. Tum RATHERIUS, ex Monacho Lobbiensi, Episcopus Veronensis: qui miræ simplicitatis, sed magnæ Literaturæ fuisse traditur. Et alij denique permulti: inter quos tamen nihil ita enituit, ut RADULPHUS Monachus Fuldensis: de quo in Ecclesiâ totâ hæc erat constans opinio, nullum ei vel in Philosophiâ, vel in Theologia parem esse: ut propterea ad eum, ex toto fermè Orbe, difficillimæ quæque quæstiones referrentur.

Sed multo etiam feracius talium ingeniorum fuit SEXTUM SAECULUM: in quo

præter alios multos, quorum extant nomina, floruit MARIANUS SCOTUS, qui Fuldæ undecim annos, quindecim Moguntiæ, in cellâ incluſus duravit: quo tempore Chronica ſcripſit ab initio mundi, ad ſua usq; tempora: fuítque ob doctrinæ, & multò magìs ob ſanctitatis nomen, in magnâ omnium veneratione. Ac eodem tempore celeber etiam fuit LANFRANCUS, qui in Dialecticis, totáque Philoſophia, ſui temporis princeps habitus eſt, idem Lumen ac Magiſter Theologorum. Hunc tradunt, cùm Papiâ, ubi natus erat, & ubi publicam Scholam cum laude habuerat, in Galliam proficiſceretur, à latronibus ſpoliatum & abductum, prius impatienter tuliſſe: deinde in ſe reverſum, damnare cœpiſſe ſeipſum, quòd tam diuturnum ſtudium ſacræ ſcripturæ impendiſſet, néque adhuc DEUM in tribulatione laudare didiciſſet: ſtatímque voviſſe, ſi evaderet, ſe deinceps DEO famulaturum. Liberatus, igitur venit ad Monaſterium Beccenſe, ubi aliquamdiu ita latuit, quaſi idicta, & illiteratus, donec ab Italis mercatoribus agnitus & patefactus, primùm à ſuis adhibitus eſt ad domeſtica ſtudia moderanda: deinceps etiam à S. Pontifice Cantuarienſi Eccleſiæ præpoſitus. Huic etiam ſimillimus fuit is, qui ei proximè in ſede ſucceſsit, ANSELMUS ejus Auditor, & in Beccenſi item ſcholâ ſucceſſor. De cujus Anſelmi eruditione nihil attinet dicere, cùm eam libri editi ſatìs oſtendant. His aſſcribendi ſunt duo

Car-

Cardinales ejusdem temporis, HUMBERTUS Monachus Tullensis, quem Leo 9. ob excellentem doctrinam & pietatem, ad eum honorem provexit, & Constantinopolim legavit, ut Leonis Bulgarorum Episcopi audaciam frangeret. Alter fuit PETRUS DAMIANUS, cujus adhuc eruditio & facundia, ex ejus pluribus scriptis nota est. Illud Sanctitatis fuit, quòd diu Cardinalis & Episcopi Hostiensis munere functus, denique pertæsus ejus vitæ, Nazianzeni exemplo, ad pristina se recepit Monachorum studia, cujus etiam facti rationem luculento scriptô reddidit. Denique ut alios omnes omittamus, magnus etiam fuit per ea tempora HERMANNUS cognomento Contractus: cujus doctrina eò mirabilior fuit, quòd eam insigni miraculo adeptus est. Ita enim scriptum est, hunc in Sueviâ ex nobili Comite ortum, ab ineunte ætate omnibus membris captum fuisse, atque ob eam causam nomen illud, quod diximus, Contracti accepisse. Quare cùm Monachus factus esset, multis precibus Beatam Virginem rogare institit, ut ipsum eo morbo liberaret. Illa verò clara luce se ei visendam præbens, optionem obtulit, utrùm è duobus malis, sanúsne fieri, sed, ut erat, rudis & indoctus permanere: an perseverare in morbo, & omnibus scientijs insignis evadere? Cùm autem Hermannus, ut debebat, hoc posterius prætulisset, abeo tempore mirabiles progressus in omni genere literarum facere cæpit: adeo ut neminem in his supe-

ſuperiorem, vix etiam æqualem habere crederetur: ac nominatim tres linguas, Latinam, Græcam, Hebraicam, ita calleret, ac ſi in ijs natus eſſet.

In SEPTIMO SAECULO, úſque ad annum 1200. multos item accepimus fuiſſe, omnium doctrinâ, atq; optimarum artium ſtudijs eruditiſsimos: quo in numero præcipuè ponitur PETRUS Abbas Cluniacenſis, cujus tum alij libri extant, tum unus de mirabilibus, & revelationibus ſuo tempore factis. Tum verò SIGIBERTUS ex Gemblacenſi Cœnobio: & GRATIANUS ex Bononienſi: quorum ille inſigne Chronicon conſcripſit, & alias inſuper hiſtorias: hic nobile illud opus Decretorum ex Patrum ſententijs, & Pontificum reſponſis digeſsit, approbatum deinde ab Eugenio tertio. Inter omnes autem maximè celebres illi duo, HUGO è Cœnobio *S. Victoris* Pariſienſis, & RUPERTUS Abbas Tuitienſis: cujus doctrinæ excellentiam, non ſolùm multa volumina ab eo ſcripta indicant, ſed etiam miraculum, quô eam doctrinam accepit: Nam cùm ingenio tardior eſſet, inſtarétque precibus apud Virginem DEI Matrem, ut ſibi à filio Scripturarum intelligentiam impetraret, apparuit ei Mater illa Gratiæ, denuncians ejus preces à ſe auditas: tantúmque ei lumen impertitum iri, ut nullus ejus ætatis doctrinâ ei æquari poſſet: tantum videret, ne id talentum in terra defoderet, ſed ſtrenuè excercerct. Quod quidem ab illo abundè perfectum conſtat:

ſtat: nunquam enim deinceps à legendo, vel ſcribendo ceſſavit.

OCTAVO SÆCULO, ab anno 1200. usque ad 1300. Floruiſſe accepimus HELMANDUM Monachum Beluacenſem, in divinis Scripturis eruditiſsimum, & in Sæcularibus etiam literis, ac multis quoque libris ſcriptis nobilitatum.

Eodémque tempore GUILIELMUM Abbatem Pictavienſem, non ſolùm Theologiæ, ſed Juris etiam civilis ſcientiſsimum. Deinde PHILIPPUM BERGAMUM, in cœnobio Patavino egregium virum, tam doctrinâ, tum eloquentiâ. Tum etiam PETRUM BERTORIUM Monachum Pariſienſem, cujus librorum grandis extat catalogus.

Ab anno autem 1300. usque ad annum 1400. TOTO HOC SAECULO multi item celebrantur: ut LAPUS Abbas S. Miniatis, in Theologiâ, & inſuper in utroq; jure peritiſsimus. PETRUS BOCHERII Abbas Avianenſis, ipſe quoque Decretorum Doctor. Præcipuè verò PETRUS ROGERIUS, is qui poſtea ad Pontificatum evectus, CLEMENS SEXTUS vocatus eſt: quem acerrimo ingenio, & tum omni doctrinâ, tum etiam dicendi facultate egregiè inſtructum fuiſſe ferunt: ita ut populum, quo vellet, concionando impelleret. Quare nil mirum, ſi eum tot merita ad ſummam Eccleſiæ dignitatem extulerunt.

SAECULUM DECIMUM, uſque ad annum quingenteſimum, præter alios inſignes

Viros, aliquot etiam habuit in jure Canonico admodùm excellentes: ut HENRICUM Abbatem Nurembergensem; JOANNEM RODE Abbatem Trentensem, cujus egregia Opera constitit in Concilio Basilienſi: tum verò NICOLAUM illum, qui prius Abbas Monacensis, postea Archi-Episcopus Panormitanus, deinde etiam Cardinalis factus est. Scripsit autem multa consilia, & uberrima Commentaria in universum Corpus Juris Canonici: quorum tanta hodie est authoritas, ut nullus in hoc genere notior, & celebratior sit.

Denique hoc ULTIMO SAECULO, quod nunc labitur ab anno quingentesimo, non paucos scimus eminentes Viros: ut IGNATIUM, ex Cœnobio Florentino: ex Parmensi, JOANNEM BAPTISTAM, utrumque Abbatem, utrumque magno progressu in divinis, & humanis litteris: In Hispaniâ verò PASQUALEM, qui in Salmaticensi Academia, publicam Theologiæ Scholam cum ingenti approbatione professus est. Postremò ne longiores simus, multùm etiam viguit hoc tempore GREGORIUS, qui prius in nobili illo Mantuano Cœnobio Abbas: deinde etiam Cardinalis à Paulo tertio creatus est. Hunc verò omnibus scientijs excultum tradunt, utrâque etiam linguâ, Græcâ, & Latinâ peritissimum: ita ut loqueretur, & scriberet expeditè atque eleganter. Idem etiam dicitur, imminente morte, Cubiculario cuidam suo ita dixisse: Ecce jam annis pluribus Cardinales fuimus, quid

quid autem nunc ſupereſt de hoc honore? Quanto ſatiùs fuiſſet in Religione mori, ubi minus erat animæ periculum? Atque hi quidem ex Monaſtico Ordine, quos de multis paucos nominavimus. Hactenus Hieronymus Platus in libro *de Bono Religionis.*

Et ex his, quæ uſque huc produximus, tam domeſticis, quàm exteris quoque teſtimonijs, animadvertis dubio procul, Amice Lector! à primis ſtatim Religionis noſtræ incunabulis nullo non ſæculo floruiſſe Viros in omni *Scientiarum* genere verſatiſsimos, maximô utique Eccleſiæ Bonô, ipſius quoque Religionis gloriâ ingenti, & exemplô Poſterorum, quod impigri ſectentur, præclarô.

DISSERTATIO III.

An in Academijs etiam, & publicè Scientias *Benedictini profiteantur?*

SUMMARIA.

1. *Monaſteria Benedictina olim loco Academiarum.*
2. *Academiæ plures fundatæ Authoribus Benedictinis.*
3. *In illuſtribus Academijs docuerunt olim Benedictini, & adhuc hodie docent.*
4. *Lycea, Gymnaſiáque publica, ac privata.*
5. *Novum Congregationis Bavaricæ ſtudium.*

6. *Ad-*

6. *Adverſarij contra Academias & profeſſuras Noſtrorum ſugillatio refellitur.*
7. *Ribadineira S. I. de Benedictinorum docendi ratione ſententia.*

N. 1.

Monaſteria Benedictina olim loco Academiarum.

ANte Caroli Imperatoris, qui rerum geſtarum gloriâ Magni cognomen ſibi peperit, tempora ſciſcitaturo, ubinam nobilior Chriſtiani Orbis & felicior Portio, Majeſtatiſque Divinæ expreſsior Imago conſtituatur? reſponderi jure potuiſſet, hunc apud Benedictinos, & in eorum Monaſterijs reperiri: cùm enim nullæ ferè, aut certè non eâ, quam nunc admiramur, formâ & apparatu conſpicuæ, ac tam eximijs ſaluberrimiſque legibus firmatæ cernerentur Academiæ, in ipſis Chriſtianæ pietatis, Sanctitatiſque Gymnaſijs (Noſtrorum ſcil. Monaſterijs) ſuas habuit ſedes omnis Muſarum tam manſuetiorum, quàm ſeveriorum Chorus, ut Clariſsimi Mezgeri teſtantur in *Hiſtoria Salisburgenſi.*

Ex his porrò Scientiarum Emporijs (referente ſic Trithemio) fuêre præcipua: *Fuldenſe, San-Gallenſe, Augienſe, S. Albani Moguntienſe, Corbeienſe, Brumenſe, Midiolanenſe, S. Dionyſij Pariſienſe, S. Maximi Trevirenſe, Antiſiodorenſe, Turonenſe, Stabulenſe, Weiſſenburgenſe &c.*

In Monaſteriô Fuldenſi longo ſanè tempore

pore duodecim continuò Doctores extiterunt, qui ſcholis unicè præeſſent: & cenſebatur hæc ſparta inter præcipua olim munia; ſicut *Præfectura Scholarum* fuit, & eſt etiamnum in multis Cathedralibus & Collegiatis *Dignitas* quædam indigitata *Scholaſtici* vel ſimili nomine, cujus Officium eſt Scholas publicas moderari.

Sicut & illud quoque memoratu dignum occurrit, quòd anno 816. à Doctiſsimo Erlebaldo in Divitis Augiæ Monaſterio Gymnaſium ad Germanæ tam nobilis, quàm plebeiæ Juventutis emolumentum apertum ſit.

De Ducali quoque Archiſterio Campodunenſi memorat Bruſchius ad annum 777. quòd, ex Adriani Romani Pontificis conſenſu, Academiâ San-Gallenſi, illuc translatâ, ſit nobilitatum; licèt exinde iterum propter rebellis plebis tumultum abducta Herbipolim fuerit, & abhinc etiam ob ſeditioſos in Epiſcopum cives per Archi-Epiſcopum Moguntinum Joannem Comitem Anoxovianum Erfordiam, Bonifacio IX. Pontifice Maximo, migrare juſſa ſit.

Ne verò de hactenus allatis dubites, ſingula noviſsimè confirmat celebris quidam Ss. Theologiæ Magiſter ex Ordine Prædicatorum in ſua Panegyri de S. P. N. Benedicto: *Benedictus*, inquiens, *noſter per ſuos ſurgentes hæreſes delevit, & Scriptorum illuſtrium plùs quàm millia quindecim ſuo ex Ordine concitavit: Ille per ſuos Bibliothecas, ſcholas, Academias florere fecit, ut Eccleſia floreret. In ſolis hujus*

jus Ordinis Monaſterijs Academia & ſcholæ tantâ cum laude ſtetit, ut intra Cœnobij tantùm unius parietes aliquando quatuor millia ſtudioſorum erudirentur.

Aſſentitur nempe Trithemio, qui in *Chron. Hirſaug.* Cathalogum benè longum exhibet Doctorum in ſolo Hirſaugienſi Aſceterio florentium: & porro refert, in prædictis Monaſterijs extitiſſe ſemper Studiorum Regentem unum, (quem ipſe *Scholaſticum* vocat) cui cæteri Diſciplinarum Cultores parebant, eorúmque ipſe Scripta corrigebat: qui *Scholaſtici* titulus (ut ſupra memini) in plurimis etiamnum viget Cathedralibus Eccleſijs, ijs præſertim, quarum Canonici Benedictini in Sæculares migrârunt. Quæ omnia ſuô confirmat ſuffragiô Joannes à Boſco *in Annotat: ad Vitam S. Abbonis c. 1.* ita diſſerens: *ſcholæ quondam adeo inſignes atque celebres, in Cœnobio Floriacenſi habebantur, ut Scholaſticorum plus quinque millibus recenſerentur.* Hi *Didaſcalis ſuis, muneris honorarij gratiâ, pro candelis, Edictíſve, in Pariſienſi Academia, noſtra AEtate, Claſſium Moderatoribus exhiberi conſuetis: bina Manuſcripta (eò quòd necdum typographica ars emerſerat) offerebant volumina. Quorum numeroſitas locupletiſſimam Floriacenſem conflarat Bibliothecam.* Hæc ille.

N. 11.

Academiæ plures fundatæ Authoribus Benedictinis.

ALcuinus Benedictinæ Arboris Ramus meritò illustrissimus, & Venerabilis Bedæ Discipulus ac Gloria, Magno, quem proximè deprædicavimus, Carolo, continendorum in officio Populorum suggessit consilium, quô præstantius omnes hactenus Politici excogitare, etsi maximè voluissent, post diuturnos etiam sudores nunquam potuissent.

Cùm enim ex Gentium nuper devictarum, & ferocium præsertim Germanorum barbarie, nunquam plenè domitâ, perpetuus turbarum, tumultuum, ac defectionum metus immineret, ut ex mansuetiorum consortio Musarum tantisper mitescerent, geniúmque induerent tractabiliorem, suasit ille Carolo diversarum fundationem Academiarum. Cujus vestigijs insistentes Nostratum plurimi consiliô pari, pari Sapientia, & Zelo alias in alijs subinde locis Academias excitârunt. De Alcuino ita vetus Poëta:

Quid non Alcuino *facunda Lutetia debes?*
Instaurare bonas ibi qui feliciter artes,
Barbariémque procul, solus depellere cœpit.

Edicite igitur, & vestra conferte suffragia nobiliora Europæ Athenæa, referte nobis, quis primum in vobis lapidem posuit? quis pri-

prima excitavit vestigia? quis uberrima dedit incrementa? Nonne Monachi? Nonne Benedictini? nonne noster præ reliquis Alcuinus? Hunc *Parisiensis* Academia in Gallia, hunc *Patavina*, *papiensis*, *Bononiensis* in Italia, hunc *Eboracensis*, & *Cantabrigiensis* in Anglia, ut Præcipuum sui Authorem venerantur.

Florentina Universitas nostro Clementi VI., & *Erfordiana* San-Gallensibus, unde translata fuit, in acceptis referuntur; *Duacense* Gymnasium perquam magnificum extruxit Arnoldus Abbas Marchianensis; *Magdeburgenses* Scholas erexit S. Adelbertus, & *Oxinensem* denique Academiam in Anglia Neotus, qui Musas, quas Danorum crudelitas pene extinxerat, in Anglia restauravit.

Quidquid igitnr amplissimorum fructuum in tam frequentibus Academijs hodiedum progerminat, nî esse ingrati velimus, fateamur oportet, id totum Benedictinæ familiæ meritis, & industriæ immutabili jure deberi.

N. 111.

In illustribus Academijs docuerunt olim Benedictini, & adhuc hodie docent.

Fundare Academiam nobile quidem, sed *docere* in Academia nobilius aliquo saltem

ex

ex capite opus est : ad illud fortunæ tantùm, sed Animi Bona ad hoc exigitur; in *ædificando* manus, & Operæ, in *docendo* intellectus, & præcipuæ hominis facultates laborant, & sicut aurum ibi, ita hîc cerebrum expenditur.

Et isto etiam tam sublimi titulo, & *docendi* munere prorsus eximiô enituit semper, ac nitet hodiedum Benedictina Religio, illustres passim in nobilissimis Europæ Universitatibus Cathedras obtinens.

Adeamus GALLIAM, & lustremus Universitatem *Parisiensem*, docebunt ibi, & florebunt Benedictini.

Adeamus BURGUNDIAM, & inspiciamus *Dolanam*, docebunt ibi, & vigebunt Benedictini.

Adeamus HISPANIAM, & arbitremur *Salmanticensem*, *Ovetanam*, *Vallisoletanam*, *Compostellanam*, *Hispalensem*, *Complutensem*, *Hyrachensem*, docebunt in his omnibus, & eminebunt Benedictini; Et verô in hac ultimâ (Hyrachensi videl.) *soli* quidem cum Clavo Cathedras obtinent Nostrates.

Adeamus ITALIAM, & intueamur *Patavinam* Universitatem, docebunt ibi, & deprædicabuntur Nostrates.

Adeamus BELGIUM, & videamus *Duacensem* docebunt ibi, &, ut fertur *Lovanij* quoque, dilaudabuntur Nostrates.

Adeamus inferiorem RHENUM, & aspiciamus *Colonienſem*, docebunt ibi, & extollentur Nostrates; inter quos nuper enituit

R.mus DD. Henricus Gyrenius, Abbas S. Heriberti in Tuitio propè Coloniam; qui ingenti ibi plausu Theologiam docuit.

Adeamus superiorem GERMANIAM, & scrutemur *Salisburgensem*, omnium linguis, & calamis non ibi tantùm, sed in universâ, quà longè, latéque patet, Europa celebrabuntur Nostrates; utpote quorum arbitrio, & disciplinæ subjacet florentissima, & omni hactenus tempore celeberrima Universitas: è qua nempe, ceu equo quondam Trojano famosi in arenam literariam Heroës prodierunt.

Adeamus & investigemus Universitatem *Rhintelensem*, æternô ibi meritô, & gloria vigebunt Nostrates.

Deus bone! Quanti hactenus Doctores in istis, quas enumeravimus modò, Academijs extitére!

Ut Lectoris curiositas suaviùs pascatur, adeatur Bucelinus in *Benedicto redivivo*, ubi plurimorum, qui in nuncupatis Universitatibus publicè docuerunt, Professorum bene longus texitur catalogus.

Et hi sunt præclari illi Viri, qui (verba do ejusdem Authoris) magnis sese meritis amplissimis Regnis plurimùm commendarunt, & alij non multò antea mortui, alij usque hodie bene mereri non desinunt.

N. IV.

Lycæa, Gymnasiaq; publica, & privata.

QUemadmodùm peculiaribus quælibet ætas studijs destinatur, ita his ipsis diversa quoque loca respondent: Juventuti excolendæ Universitates, instituendæ verò adolescentiæ, pueritiæque inserviunt Gymnasia, quorum in toto Orbe apud Nostros affluentiam (si privatam spectemus institutionem) sigillatim enumerare, & accuratô exponere syllabo labor vix non improbus esset. Nullum facilè Monasterium reperias, ubi non spectabilis Adolescentum Copia pietate æquè ac Doctrina imbuatur, & eâ quidem studiorum famâ, eô discipulorum fructu, & eô quoque parentum solatiô, ut ad litteras publicè tradendas à permultis certatim locis Benedictini expeterentur; de quo si dubites, consule superiorem Germaniam, & luculentis id testibus edocebit; testabitur *Bellizonense* in Helvetia, *Villinganum* in Hercinia, *Ehingense* in Suevia, *Frisingense* in Bavaria Gymnasium. Et verò in Bellizonensi docent soli *Einsidlenses*; in Ehingensi, soli *Zwifaltentes*; in Villingensi soli ad *S. Georgium* ejusdem Civitatis Inquilini; In Frisingensi seliguntur ex totius Provinciæ illius Monasterijs Professores. *San-Gallenses*, ut præclaros literarum fructus in exteros quoque oportuniùs derivent, per-

amplum hodie & novum moliuntur Athenæum, ubi cum Philoſophia, Jus, & Theologiam &c. publicè deinceps profitebuntur: ut jam ſuprà memoravi.

At, ne putes, apud inferiorem Germaniam minori nos eſſe loco, Aubertum Miræum propono, qui apud Bucelinum *Annal. Benedict. p. 2.* poſtquam Noſtrorum in Germania Superiore ſtudia commendaſſet, ſic ait: *Et verò in noſtra Germania inferiore non jacent. In Flandriâ nominatim Gerardimontenſes Benedictini, Exemplô Patrum Societ. Jeſu ſcholas litterarias Juventuti, undique confluenti, annis ſuperioribus aperuerunt. Duaci Philoſophiam publicè docent in Collegio ſeu Gymnaſio Vedaſtino, quod noſtra memoriâ Cavarellus Abbas Vedaſtinus à fundamentis extruxit. Alibi, nec uno loco, Theologiam explicant: ut meo quidem judicio, velut reddita Juventute Familia Benedictina hodie reviviſcere videatur. Quid in Hiſpania, Italia, Gallia, & alibi Sodales veſtri agant, in Originibus noſtris Monaſticis, Coloniæ editis, explicui, nec hîc repeto &c.* Ita Miræus.

Apud quem eundem, de ijſdem Noſtrorum ſtudijs, Joannes Mariana ſic loquitur: *nam Antiqua, Benedictinorum præſertim, Monaſteria Scholæ publicæ erant, ad Juventutem erudiendam à viris ſanctiſſimis conſtitutæ, unde haud levis publica utilitas extitit: ipſi magnis divitijs atque ingentibus creverunt, omnibus certatim pios eorum conatus juvantibus re, operâ, conſi-*

consiliô. Ex ijs Monasteriis velut ex arce Sapientiæ innumeri Viri prodierunt, utriusque Philosophiæ cognitione præstantes, divinæ atque humanæ; ut editi eo tempore, ab eáque natione hominum libri multi & excellentes, in suo quis genere mirandi, argumento sunt.

Resplendet scilicet illa etiamnum Benedictinæ Gloriæ prærogativa, quâ (ut probat & disserit Mabillonius) antiqua puerorum institutio ad solos fere illos pertinebat, qui in Monasterijs in vita Regulari, vel suô, vel parentum arbitriô oblati erant. At post Divi Bonifacij nostri tempora instruendis etiam alijs Cœnobiorum Gymnasia patebant: qui nunquam satis laudandus Germaniæ Apostolus Bonifacius incultis fere, si scientias spectes, eâ ætate Regionibus apertis ubique musarum domicilijs, cultiorem faciem induxit.

Et verò informem adhuc pueritiam Christianis informare moribus, vel adultiorem jam ad Pietatem, eruditionémque instituere, tantæ opus est præcellentiæ, ut in prima collocari classe soleat meritorum, quibus in apicem eluctari Christiana perfectio potest. Puer etenim, aut Juvenis ejusmodi, ignobilis, informísque trunci speciem refert; ex quo tamen per artificis institutionem Magistri splendida efformatur Christiani, doctíque hominis statua, quæ non sinè intuentium voluptate, fructúque multiplici expressiorem Divinæ Majestatis, & Sapientiæ increatæ imaginem exhibet.

Quàm tenero autem Juventutis inſtituendæ fervore ſuccenſus fuerit Glorioſiſsimus Patriarcha Noſter, teſtantur abundè gemina ejuſdem, ac Nobiliſsima Senatorij Ordinis Corcula *Placidus & Maurus* cum pluribus alijs in Cœnobijs recèns erectis piè, doctéque educati; cujus illuſtribus veſtigijs dociles in Franciâ diſcipuli conſtanter inſiſtentes, *in tantum unà doctrina fructificaverunt, ut Moderni Galli*, inquit Vetuſtiſsimus Author Monachus San-Gallenſis, *antiquis Romanis, ſeu Athenienſibus æquarentur.*

Caſsinenſes præterea, & reliquæ deinceps Ordinis noſtri Aſceteria hunc inſtruendi Iventutem morem, velut beatiſsimæ hæreditatis medullam illibatam ſemper obſervarunt, atque ſanctiſsimam; quin florentiſsima ipſa Jeſu ſocietas contra Inſtituti ſui Calumniatores Hæreticos, docendi conſuetudinem â Benedictinis Jure quaſi avitô accepiſſe ſeſe fatetur ultrò, ac tuetur: teſte P. Ribadineira, infra adducendo.

Tam copioſis autem in omni genere progreſsibus educationis publicæ feliciſsima dexteritas redundabat, ut ſuam ipſi Reges Progeniem Laudatiſsimis Moderatoribus noſtris committerent: ſic OTHONEM Juniorem San-Gallenſe, LOTHARIUM Caroli Calvi filium S. Germani Antiſiodorenſe, THEODORICUM III. Kalenſe, LUDOVICUM VI. & alios &c. Dionyſianum inſtituit, & *Magni* quoque *Caroli* maximus Pater PIPINUS ſuam Monaſticæ diſci-

disciplinæ educationem in acceptis refert.

Ac si hæc omnia subticuissem; illud tamen abundè sufficeret, quòd ipse adeo Theologorum Sol, Aquinas in Monte Casino educatus, primam eruditionis suæ lucem imbiberit.

Ex tam Glorioſa pro literariæ rei in omnigenam Juventutem propagatione, quis non deprehendat, è Divinæ Mentis sententia esse pronunciatum Magni Basilij; qui interrogatus, *sitne conveniens, ut in Monasteriis habeantur Magistri* pro pueris sæcularibus? luculenter respondit: *Hoc esse conforme Evangelio. Basil. in Reg. brevior. q. 292.*

N. V.

Novum Congregationis nostræ Bavaricæ Studium.

HÆc ùt eximia cùm lubentissimus veneror, immortalibus tamen præconijs super omnia extollo inspiratum cœlitus (sicut nullatenus dubito) & plenum sublimioris Providentiæ consilium, quod paucis abhinc annis amplexa fuit Bavarica Congregatio titulo *S. Angeli Custodis.* Instituit illa publicum tam in Theologia, quàm Philosophiæ studium; in quo Nostri Ordinis Viri, habitô delectu ex tanta Doctorum copia, assumptî Professorum munere funguntur; nec vel infrequens Auditorum Copia, vel minor Discipulo-

pulorum fructus emergit. Confluunt eò ex omnibus ejusdem non modò, sed & alijs aliarum quoque Congregationum Monasterijs utriusque facultatis Alumni, ac tales quidem absolutô curriculô domum redeunt, quales vel expectare, vel optare Superiores poterant.

Tantam porro laudatissimi studij ubertatem cur admiremur? ubi enim in tantô delectu ac numero florentia concurrunt ingenia, & præter similem à potiori ætatem eadem Religio, idem Spiritus, æmulatióque accedit, potentes utique stimuli debent quemlibet ad sedulitatem, fervorémque incitare, præsertim ubi publicarum thesium editiones annuæ ardorem amplificant.

Hinc certè permotus Patronorum nonnullus *Juris* etiam *Canonici* Professuram gratiosè fundavit; unde posthac non erit aliquid, quod ad tam glorioši scopi perfectionem, & studiorum in omni genere maximam utilitatem desideretur.

N. VI.

Adversarij contra Academias, & Professuras nostras suggillatio refellitur.

AT, *quot, & quantum sint ab alijs æstimatæ hæ Monachorum Universitates, meâ non interest*, inquit *fol. 83.* illudens tacitè nobis Adversarius: Deinde alienô mentem

tem ſuam titulô colorans pro ſe Authorem, cujus ergo nomen honoris egò, & amicitiæ colendæ gratiâ ſtudiosè taceo, ſic loquentem inducit: *Monachis utiliùs eſſet non tantùm ſingulis, ſed etiam toti Congregationi, ſi in clauſtris manerent, quia inſtitutum eorum ad docendum non tendit; nec ſatìs proſpectum foret Eccleſiis, nisì adeſſent alij, qui ex inſtituto ſuo & propria vocatione ad id deputati eſſent.*

Quaſi verò (reſpondet Noſtrûm aliquis, & Benedictinæ gloriæ nobilis Vindex) à morte Apoſtolorum, non fuiſſet ſatìs à Chriſto Domino proſpectum Eccleſijs! Nec intelligunt iſti, ſe Quintiano Siciliæ Prætore graviùs impingere, qui Virgini Agathæ mamillam abſcindi præcipiens, hunc ab ea retulit colaphum: *Crudelis Tyranne! non te pudet amputare in fœmina, quod in Matre ſuxiſti?* &c.

Hujus tam graphicæ ſimilitudinis occaſione ratiocinari ſic poſſemus: Per *Bonifacium*, *Rhabanum* &c. Religio noſtra materno quaſi eſt functa officiô, ac è geminis ſacræ, profanæque *Scientiæ* papillis eruditionis omnigenæ lacteos fontes balbutienti tunc Germaniæ ubertim propinavit: quàm turpiter ergo ingratus eſt ille, qui tam beneficam, quam in ſuis Majoribus ſuxit ipſe, mamillam reſecare non erubeſcit! Videtur Antagoniſta ejuſmodi non abſimilis Philiſtæis, Populi Iſraëlitici hoſtibus infenſiſsimis; qui eum non armis modò, ſed armorum etiam fabris penitus ſpoliarunt. Verùm Divina hactenus Clementia ſacratiſsimam

BENEDICTI Religionem ita deſeruit nunquam, ut Viros hoſtibus unde unde ſurgentibus pares, non conſtanter nutriret. Floruêre & ſuperioribus ſemper ſæculis laureati Hannibales, devictorum ad Cannas hoſtium annulos legere docti, & Modernum Suis etiamnum haud caret. Et licèt Benedictinos Adverſarius *pumilionibus*, ſeipſum verò comparet *giganti*: meminiſſe tamen oportet, à parvulo etiam, ſed Davide maſculo, carneam Philiſtæorum turrim uno lapidis ictu fuiſſe proſtratam. Benignus quippe DEUS eſt, qui Suos nunquam deſerit; &, ſi neceſsè ſit, è lapidibus etiam ſuſcitare conſueſcit Abrahæ filios, quidni & BENEDICTI?

Sed non opus eſt pluribus, ubi manifeſta ob oculos verſatur veritas, & *ex noſtra parte æquè parùm intereſt*, quale ferat Judicium Adverſarius de Academijs & Profeſſoribus Benedictinis. *Germanus* eſt, caveat ergo, ne incurrat Notam proximè inſinuatam.

Ut clavum tamen clavo, id eſt, Authoritatem pellam Authoritate, audiendus eſt ſuprà citatus Ribadineira, quem de Noſtrorum docendi ratione Hæftenus *lib. 2. diſq. Mon. tr. 6. diſq. 5.* ita diſſerentem inducit.

N. VII.

N. VII.

R. P. Ribadineiræ, S. I. de Benedictinorum docendi ratione Sententia.

DIvus BENEDICTUS (inquit Ribadin. *in vit. S. Ignat. l. 3. c. 23.*) Monachorum in Occidente Parens, pueros in Cœnobijs educabat, informabátque ad Pietatem (in eum fere modum, quô Societas noſtra quibuſdam in Collegijs ſeparatim nunc facit.) Sic Placidum & Maurum puerulos à BENEDICTO receptos legimus, & in omni genere virtutum excultos, atque perfectos. Quæ conſuetudo diu poſtea tenuit. Nam D. Gregorius Anglos pueros magnâ diligentiâ conquiri jubebat, & in ſui Ordinis Cœnobijs ali, atque educari. Et D. Thomas Aquinas longo pòſt tempore in Caſinenſi Monaſterio à puero inſtitutus eſt. Neque verò pueros fingebant Monachi S. BENEDICTI ad omnem tantumodo virtutis laudem, ſed etiam diſciplinis, & in omni SCIENTIARUM genere inſtruebant. Nam & in Germania, & in Gallia, & in Anglia magna cum laude *Docuerunt*: Authore & Principe hujus Inſtituti Venerabili Beda, qui ante annos 800. in Anglia docuit, & ſcholæ præfuit: in cujus locum poſtea ſucceſſit Albinus, Caroli Magni Præceptor, & in locum Albini Rhabanus Abbas Fuldenſis, qui poſtea etiam Archi-Epiſcopus fuit Moguntinus. Et Monachi S. BENEDICTI Collegia

(quem-

(quemadmodùm nos nunc habemus) habuerunt, in quibus docebant, ſcilicet quæ nos docemus, ut videre eſt apud Joannem Trithemium Monachum & Abbatem ejuſdem Ordinis, qui rem totam diligentiſsimè perſequitur. Atque ea re tantopere floruit Ordo S. Benedicti, & ſanctiſsimis, doctiſsimiſque Viris abundavit, quorum doctrinâ univerſam Eccleſiam illuſtravit. Hactenus Ribadineira: cum quo hanc de Benedictini Ordinis *Scientiâ* partem concludo.

PARS

PARS IV.

DE

Actione

Tertiô ad Hierarchicum Ordinem Requisitô.

DISSERTATIO I.

An Actio *vigeat in Religione Benedictina ?*

SUMMARIA.

1. *Quid per* Actionem *intelligatur ?*
2. Actio *ista, seu,* Munus prædicandi *viget in Religione Benedictina.*
3. *Relucet in Sanctissimô* Benedictô *divinitùs ad eam vocatô.*
4. *In* Gregoriô *Magnô, Augustinô, Melittô &c. Angliæ Apostolis.*
5. *In* Bonifaciô *Germaniæ Apostolo.*
6. *In alijs diversarum Germaniæ Provinciarum Apostolis.*
7. *In alijs insuper omnium fere Gentium Apostolis.*
8. *In F. Buillio, ejúsque Sociis, primis in Indijs Evangelij Præconibus.*
9. *Roborantur hactenus dicta illustri duorum Scriptorum suffragiô.*

N. I.

Quid per Actionem *intelligatur ?*

Actio, quam, utpote tertiam Ordinis Hierarchici partem, in præsenti Dissertatione tractabimus, versatur in negotiatione humanæ salutis, ac *Verbi* potissimùm *Divini*, & *Evangelicæ Legis* solenni *Prædicatione*.

Et hujusmodi quidem *Actio* ad triplicem speciem à Divino Areopagita, juxta superiùs positam ab eodem descriptionem, reducitur.

Primam nuncupat *Purgatricem*; quæ Gentium superstitionem, Hæreticorum errores, & omne, quod humana vel malitia, vel fragilitas admittere solet, scelus, ceu infelix lolium solertis ad instar Hortulani radicitùs extirpat. Alteram vocat *Illuminatricem*, quæ Fidei Mysteriorum, ad nostram præsertim Redemptionem spectantium, Lumen, & Virtutum, Christi, Sanctorúmque Exemplis illustratarum, ac stringentis quemlibet hominem Christianæ obligationis, cognitionem ingerit. Tertiam denique appellat *Perfectricem*, quæ rationem explicat mediorum, quibus fidelis anima diteſcat, opésque meritorum augeat & vinculorum, quibus Deo suo, tanquam summo Bono, arctissimè copuletur, uniatúrque.

Gran-

Grande profectò arcanum ſubeſt, excellentia multiplex, & totius Aſceleos medulla ſacratiſsima! Hâc nimirum *triplici Actione* ipſe jam olim Athenienſium Areopagita, ac deinceps Epiſcopus ſignavit mirabilem illam, quam myſtici nunc Theologi ſtatuunt, *viam*: *primam* quippe aggrediuntur *Incipientes*, & hos *purgatrix* diſponit; ſecundam ineunt *Proficientes*, & hos erudit *Illuminatrix*; Tertiam denique ſubeunt *Perfecti*, & hos abſolvit *perfectrix Actio*: In *primâ* removentur, tolluntúrque impedimenta Sponſæ; in *ſecundâ* illi nuptialis comparatur Ornatus; & in *tertiâ* ſolenne in Chriſto Conjugium, *unióque* Sacramentô prorſus ineffabili adimpletur.

N. 11.

Actio *iſta*, *ſeu*, Munus prædicandi *viget in Religione Benedictina.*

COmmuni fertur adagiô: *Qualis vita, finis ita*; glorioſa igitur cùm extiterit & omnigenis inclyta Virtutibus, plurimíſque fuerit miraculis inſignita Protoparentis BENEDICTI vita, debuit utique non minùs gloriosô claudi epilogô, & illuſtri ſimul prodigiô exornari. Vix animam egerat feliciſsimus, & tam copiosâ jam Sobole fœcundus Patriarcha, cùm, eundem inter laureatos Cœli Principes receptum, luculentô teſtatus

eſt

eſt ſignô DEUS: duo quippe Monachi paternæ Virtutis æmuli, & tantô digni Patre Filij ſuperuæ gratiæ radijs colluſtrati, juxta Romani Breviarij relationem, *euntem in Cœlum viderunt* (BENEDICTI animam) *pallio ornatam pretioſißimô, circa eam fulgentibus lampadibus, & Clariſßimâ & graviſßimâ ſpecie virum ſtantem ſupra caput ipſius dicentem audierunt*: HÆC EST VIA, QUÂ DILECTUS DOMINI BENEDICTUS IN CŒLUM ASCENDIT.

En pallium! en Lampades! en Cœlum! Cœlum *purgationem* exigit, quia nihil intrabit coinquinatum; lampades *Illuminationem* portendunt, quia *Lucis, omnem hominem illuminantis* ſymbolum, ſpeciémque præſeferunt; Pallium *Unionem* denotat, quia circumdat Filiam Regis, quæ *aßiſtit à dextris in veſtitu deaurato circumdata varietate.*

Quid innuit ergo Senex, cœleſti Majeſtate circumfuſus? una (dicere volebat) *lactea* Cœli *via* eſt, ſed triplici, *Incipientium* ſcilicet, *Proficientium*, & *perfectorum* trita veſtigiô: Hanc Præambulo BENEDICTUS aperuit innumeris, quas per ſe, Suóſque Immortalitati conſecraturus erat, animabus.

At unde his patuit acceſſus ad DEUM, æternitatémque beatam? *ad* DEUM *accedentem oportet credere*; & Fides unde, *niſi ex auditu*? & auditus, nunquid per *Verbum Dei?* Divini igitur Verbi promulgatio *triplicem* illam veluti digitô præmonſtrat *Viam*, & *Actionem*, ad Ordinem Hierarchicum requiſitam, cum-

cumprimis repræsentat, fundat, & exequitur.

Hanc verò tam sublimem Evangelicæ *Prædicationis* Provinciam, seu *Actionem Prædicativam* non convenire Benedictinis nonnulli acriter cum Adversario nostro, sed majori æmulationis, quàm Veritatis studiô, contendunt; In præsenti enim Dissertatione firmissimus asseram, & luculenter demonstratum ibo, *Evangelicæ Legis prædicatione*, & Apostolicô Præconis Divini munere tam Protoparentem BENEDICTUM, quàm Zelosissimam BENEDICTI Religionem eâ hactenùs felicitate defunctos esse, ut ex Agro Dominico copiosissimam animarum messem cœlesti Horreo importarent, & hinc nequeat in dubium vocari, an Evangelicæ *Prædicationis munus* Benedictinis conveniat? utpote quos præ ceteris unos maximè voluit DEUS hactenus cœlesti ejusmodi Suadâ, & Concionatorum celebri famâ inclarescere.

N. 111.

Relucet in Sanctissimo Benedicto divinitùs ad eam *vocato.*

GLoriosissimum Parentem Divum BENEDICTUM ad Evangelij promulgationem, munúsque prædicandi non ab homine, vel Angelo, sed ab ipso vocatum DEO fuisse, accuratissimè nobis refert Reverendissimus DD. Abbas Georgius Geisser in

Oculo extatico S. P. Benedicti sect. 6. n. CI. f. 224. ex primâ, quâ Sanctissimus Pater illustratus fuit, Cœlesti Visione, eámque ita describit:

Cùm enim *Vir Dei* lapsum tenerioribus discipulis pertimesceret, ob spureas, ab invido æmulo Florentio in ruinam mentium religiosarum compositas insidias, & quid tandem factô opus esset, sollicitâ cogitatione pensitaret: Ecce tibi! vox Cœlestis fluctuantem Benedictum his compellavit verbis: *Ut quid dulcissime, ac dilectissime Benedicte tristaris? nunquidnam non reminisceris illud, quod ego Discipulis meis locutus sum, dicens: si me persecuti sunt, & vos persequentur? Tibi enim alia est eligenda via, aliud iter quærendum. Te namq; elegi ex omnibus incolentibus Orbem.* Tu EVANGELII MEI TUBA CŒLESTIS *existens Spiritu es meo repletus. Surge jam, & vade ad Castrum Casinum, & populum ejusdem Provinciæ, qui adhuc idolorum nefandis cultibus servit, & in quorum præcordiis Sathanæ versutia regnat, qui nihil sciunt, aut dicunt, nisi quod in cordibus eorum veternosi serpentis versutia scripsit, sermone verifico prædicans, meum ad cultum converti, stude: quia tecum ego ero, & non te deseram, & confundam omnes Adversarios tuos. Proficiscere idolorum ad pugnam, confortare & esto robustus, quia castrum tibi tradam, & illic Sedes nominis tui in perpetuum erit.* Ita Gordianus *in Vita S. Placidi* apud surium *5. Octobris.*

Et

Et hanc visionem (pergit ibidem doctissimus iste Abbas) revelationémque divinam magni facit Angelicus Doctor, D. Thomas, eò quòd per illam S. Benedictus ad Prædicationis Officium, non per potestatem humanam, sed per jussionem divinam vocatus fuerit. *Divinô* (inquit S. Doctor *Opus. 19. c. 4.*) *judiciô reputatus fuit Benedictus idoneus, cui immediatè à Deo committeretur Prædicationis Officium.* Quod idem S. P. N. Benedictus, Sublacensibus extremum valedicens, sic expressit: *Audite me, Fratres, nam mihi Dominus meus* Jesus *Christus præcepit, ut ad culturam idolorum exterminandam castrum petam Casinum.*

Angelici Doctoris irrefragabilis cùm sit Authoritas, non est cur fulcrum addamus; sed videamus tantisper, quô Spiritu, Zelóque tam illustri Benedictus Spartâ functus sit? Ingenti sanè Spiritu, ut refert Gregorius Magnus, Zelô incredibili, fructu locupletissimô: *succidit* enim *lucos, evertit aras, Apollinis confregit idolum.* Et, ut insinuaret jam non Casino procul abesse Christum, *Christi Præcursori* templum dicavit.

Sed ut vivâ etiam, quæ Deus inhabitaret, templa surgerent, Sanctioris Vitæ legibus Pastores eruditit, vitam licèt Eremiticam adhuc, & Soli Deo (juxta Adversarios) vacantem agens.

Ut porrò universæ Posteritati indubitatô demonstraret argumentô, institutam à se Religionem ad idem Prædicationis Evangeli-

cæ Munus destinari, vivens adhuc & Discipulos *misit pro* impertiendis *verbis exhortationis*, & *Deum precatus fuit, ne permitteret Monachos suos ab infidelibus interimi, quoniam decreverat, ut illi nomen ejus per totum Orbem terrarum* PRAEDICANDO *circumferrent.* S. Gregorius *lib. 20. cap. 17.*

N. IV.

In GREGORIO *Magno, Augustino, Melito* &c. *Angliæ Apostolis.*

MAximus & Magni Patris Filius & Ecclesiæ Romanæ Pontifex GREGORIUS à Venerabili Beda *Apostolus Angliæ*, nec immeritò quidem, nuncupatur; cùm enim sanctissimus Pontifex Romanum forum obambulans, pueros sibi habuisset obvios, Cœlestis quasi formæ dignitate cõspicuos, & intellexisset, esse Anglos natu, Gentiliúmque adhuc tenebris immersos, cum gemitu exclamâsse fertur, *heu! quàm pulchras animas dæmon possidet!*

Sanctâ deinde in orcum invidiâ succensus in Insulam Evangelicæ Legis promulgandæ gratiâ plures è Nostris Viros ablegavit, cum Protomartyre Stephano *plenos gratiâ, fortitudine, & Spiritu sancto.* Præ cæteris tamen celebrantur *Augustinus & Melitus* &c: qui primi Gentes illas Fidei Lumine illustrârunt; eâ Christiani Nominis Gloriâ, & propagatione,

ne, ut Cœli ſpeciem referret Anglia, &, quia non homines, ſed amictos carne *Angelos* nutrire videbatur, antonomaſticè *Inſula ſanctorum* appellaretur.

Nec vanus tituli Splendor erat; Anglia quippe, cum affinibus Inſulis Scotiâ & Hiberniâ Divinum extitit Seminarium, in quo reliquarum Gentium Apoſtoli educabantur: inter quos præcellit Magnus Germaniæ Apoſtolus *Bonifacius*, tot meritis, egregiéque geſtis clarus, ut proximum ſibi Numerum vendicet.

N. V.

In BONIFACIO *Germaniæ Apoſtolo.*

PErluſtranti mihi vitam Glorioſi Archipræſulis & Martyris, univerſa, quæ occurrunt, ſummi Viri magnitudinem, famámque declarant; eminet namque Parentum Pietas, qui adhuc propè infantem DEI ter Optimi, & Patriarchæ BENEDICTI honoribus conſecrârunt: eminet parvuli felicitas, qui tenellæ ætatis quaſi primitias, & pueritiæ florem Cœlo in Religione quinquennis dicavit: reſplendet ingenij præſtantia, quô graviſsimas quaſque diſciplinas complexus, Doctoris eruditiſsimi nomen, laudéſque conſecutus eſt: præcellit Chriſti, Proximíque flagrantiſsimus amor, quô vehementer ſuccenſus, mari ſe credidit, & Trajectum, inferio-

ris Germaniæ Urbem, ex Angliâ delatus, per tredecim annos Frisonum, Francorúmque Gentem in Fide Catholica diligenter instruxit.

Clarissimum igitur tot meritis, & triumphis Christi Operarium Gregorius secundus, cœlesti haud dubiè lumine impulsus, in tuum, O! Felix Germania! *Apostolum* destinavit. A BONIFACIO Christianis imbuta Legibus Franconia, lustricis tincta fontibus Bavaria, Gratiæ legem edocta Turingia, & subjugata Christi Imperio Saxonia fuit. Et Moguntina, quam Insulâ & Pedô Episcopali primus nobilitavit BONIFACIUS, Sedes, utique vel ideò Sacra jure audit, quia primus eam insedit BONIFACIUS, qui meritô hinc præconiô gloriosus GERMANIAE APOSTOLUS appellatur. Quantô igitur vinculô ei obstringatur, quisquis natale in Germania Solum habet, graviter ostendit Othlonus, qui in ejus vita apud Surium 5.to *Junij* ita discurrit: *Sicut Abraham ob Fidei, obedientiæq; meritum Pater omnium dictus est in Christo credentium, haud aliter S. Præsul* BONIFACIUS *omnium* GERMANIAE *Incolarum* PATER *dici potest, pro eo, quòd illos verbô Sanctæ* PRAEDICATIONIS *primitus Christo genuit, exemplis confirmavit, postremò animam quoque suam pro ipsis posuit.* Et paulò infra: *Unde confidenter dico, quia quicunque filiorum ejus,* GERMANORUM, *videlicet, agnitô tanti* Patris *labore, non eum quantacunque prævalet, veneratione amplecti-*

tur,

tur, in honore, quem parentibus exhibere debemus, NEGLIGENS *invenitur.*

N. VI.

In alijs diversarum Germaniæ Provinciarum Apostolis.

BONIFACIUM totius *Germaniæ Apostolum* comitantur, seu ut Parentem Filij, seu ut speciales diversarum in Germania Provinciarum, ac Nationum *Apostoli*, qui idem Fidei lumen diversis locis intulêre.

Colit *Austria* SS. Colmannum & VVolfgangum;

Saxonia Ss. Elvvaldum & Lullum;

Turingia Ss. VVunibaldum, Albuinum;

Juliacum, Clivia, Sicambria S. Lebuinum.

Veneratur *Suevia* S. Magnum;

Helvetia Ss. Columbanum & Gallum;

Flandria Ss. Tillonem & Livinum;

Moravia S. Gervadium;

Brabantia Ss. Amandum, Livinum.

Suspicit *Mechelburgum* S. Joannem;

Westphalia, Holandia, Zelandia Ss. VVilibrodum & Eligium;

Frisia, Brunsvvicum, Batua, Teisterbandia, Boructuarij, Colonienses Ss. Radbodum, Suitbertum.

Celebrant *Gandavenses* Ss. Joannem Abbatem, & Livinum;

Mechlinienses S. Rumoldum;
Trevirenses Ss. Goam, VVolfum;
Batavi, VVesterfordienses, Elstenses & Neomagenses S. VVerenfridum.
Honorant *Bavaria & Salisburgum* S. Rupertum;
Pomerania S. Ottonem.
Russia S. VVilibaldum.
Deprædicat *Weterovia* S. Sturmionem.
Agnoscit *Rhætia* S. Sigisbertum.
Profitetur *Alsatia* S. Arbogastum.

Unde his omnibus ritè perpensis, accedo lubens Bucelino: qui in *Aquila Imperij Benedictina* docet, nullam GERMANIÆ Provinciam, ac nullum fere Cathedralem Ecclesiam fore, quæ non sui vel Fundatorem, vel Patronum, ac Episcopum, è Benedictinis aliquem numeret, & veneretur.

N. VII.

In alijs insuper omnium ferè Gentium Apostolis.

GERMANIAM usque huc spectavimus, patrij jure Soli primam; lustremus nunc reliqui Orbis Provincias, Regna & Populos, conclamabunt unanimiter, Evangelij se Legem Benedictinis debere.

Fidei Lumen in acceptis referent Ss. Ansgario, Remberto, VVimoni *Gotthia, Suecia, Dania, & totus Septendrio*;

S. Blit-

S. Blitmundo *Bicardia*;

Ss. Ernano & Euchadio *Scoti*, *& Pictoni*;

Ss. Lubentio & Bennoni *Slavi*;

D. Bernardo Episcopo, & S. Petro *Confluentia*, *Livonia* &c.

Pro Gratiæ lege promulgatâ grates deponent Ss. Amando & Adalgado *Vasconia*;

Huic eidem Amando *Turoni*, *Eburoni*, & *Brabantini*;

S. Altoni *Lycatij*, *Ambroni*; *Sueci* B. Stephano Archi-Episcopo, & S. Eligio;

Bulgari S. Trebellio Regi Monacho;

Ss. Grillo & Methudio *Illirium*, *Moravia*, *Sclavonia*, *Bulgaria*, *Croatia*, & *Bohemia*;

S. Martino Dumiensi, Æmiliano, & S. Fulgentio *Hispania*.

Eucharisticam adornabunt *Saxonia*, *Frisia*, *Foteslandia* S. Bernardo Vievvensi, & Ss. Ludgero ac Odulpho;

Waroſci S. Eustachio Abbati;

Fania, *Theoraces*, & *Menapes* S. Usmaro.

Panegyrim dicabunt *Bohemia*, *Ungaria*, *Polonia*, *Lutuania* & *Ruscia* S. Adalberto, Venerab. Hieronymo, S. Gaudentio, S. Brunoni, & S. Gerardo.

Scotia S. Egberto;

Pontivenſes & *Ultromarini* S. Richario.

Columnas honoris statuent *Livonia* Ss. Meinrado & S. Bertholdo;

AEgyptij & *Babilonij* S. Bonnonio;

Nortumbria S. Aidano;

Tarvanenſes S. Audomaro;

Taxandria S. Lamberto.

Gratitudinis monimenta erigent, *Gracia* Urbano IV.
Wandali S. Brunoni;
Bajocenses S. Vigori;
Hasbania S. Trudoni;
Lubavienses S. Christiano;
Maritima Callia Cajodoco;
Holsatæ S. Vicelino &c.

Et hos omnium ferè Gentium Apostolos, cum insigni Benedictini Ordinis Elogio, Ordine Alphabetico recenset celebris hoc ævo Concionator Clariss. D. Christophorus Seelhammer Ss. Theologiæ Doctor &c. *Dominica IV. Quadrages. Tubæ Rusticæ parte 1.*

Ita *Noster* se profitetur obstrictum Benedictino Ordini Orbis; sed quid *Novus?*

N. VIII.

In F. Buillio, ejúsque Socijs, primis in Indijs Evangelij Præconibus &c.

NOvus etiam ORBIS & ipse pari candore, plausu eôdem, & simili gratitudine profitetur, illatum tenebris suis Lumen, & Fidei Romanæ jubar fuisse à Benedictinis. Consule præter Bucelinum nostrum, celebrem Congregationis Oratoriæ Scriptorem Thomam Bozium Eugubinum, Honorium Philop. Petrum Ciezam, Franciscum Lopez,

Ge-

Genebrardum, Hæftenum &c. & attonitô quaſi digitô demonſtrabunt, BUILLIUM noſtrum, natione Catalonum, Montis Serrati Monachum, & ab Alexandro IV. deſtinatum *primum novi Orbis Apoſtolum, & Indiarum Archi-Epiſcopum, ac Vicarium ſummum Romani Pontificis*: quem inclytus ex eâdem Benedictinâ Propagine Heroum duodenarius ſtipabat numerus.

Primus iſte ſcil. à Chriſti Apoſtolis fuit, qui detectô per Chriſtophorum Columbum Orbe aliô, in Indijs Occidentalibus Chriſti fidem promulgando, *primam* (ut ſolerter nonnemo advertit) *fregit glaciem*, & prima erexit trophæa Crucis: quia Crucis æmulus generoſum fudit ſanguinem cum Socijs, eodem Cœli ſpiritu animatis; & primas ſic Proto-parens noſter victimas in Indijs Occidentalibus Chriſto feliciter immolavit, non ſinè læto omine, utpote quô manifeſtè portendebatur, in *Benedictione* fore impoſterum Gentes, quibus DEI SERVUS BENEDICTUS ſemel per SUOS jam *benedixiſſet*.

Illuſtris certè ejuſmodi Benedictio ampliſſimis nuper documentis refulſit in Reverendiſſimo DD. *Didaco de Heria*, qui in Urbe Compoſtellana Monaſterij S. Martini priùs Abbas, & in novo deinde Orbe *de los Angelos* Epiſcopus, ſuo munere tam gloriosè defunctus eſt, ut Ejuſdem memoria in Benedictione non fuerit hactenus modò, ſed deinceps etiam futura ſit. De illo enim ita ſcribit Bucelinus *in*

Bene-

Benedicto redivivo fol. 286. Vir Apoſtolico Zelo, omníque Virtutum cultu verè illuſtriſſimus: de quo inter alia ſcribitur: quòd rebelles Indos contra Gubernatores, & Exactores Vectigalium, mittendo eis Baculum paſtoralem, promittendóque veniam, ſedaverit & placaverit, rebellione alioquin illâ magna ſecum incommoda Regum fortunæ, Hiſpanorum ſaluti, ipsíque Eccleſiæ allaturâ.

Cui meritò adjicias Franciſcum Rice Apoſtolici Zeli Præſulem ex Montſerratenſi Congregatione in Indijs Epiſcopum.

Nec prætereundi illi Ordinis noſtri Religioſi, qui per utramque *Armeniam* diffuſi, ſtrictiſsimam tenent diſciplinam, ut qui non à carnibus ſolùm, ſed à piſcibus in Quadrageſima ipſa, ſolis leguminibus, herbis, pane, ſale & aqua contenti, nunquam vinum niſi in Ss. Sacrificio guſtantes. Ut docet Cajetanus ad annum 1619.

Anno quoque 1620. inſigni totius Ordinis, & ſacræ ejuſdem Reformationis gloriâ creatus eſt Archi-epiſcopus Dominico-politanus, & totius novi Orbis Primas R.mus & Illuſtriſsimus D. Petrus de Oviedo Hortenſis in Hiſpania Monachus, poſtquam annis pluribus Philoſophiam & Theologiam ſumma cum admiratione Compluti profeſſus fuiſſet, Regi Catholico, & inprimis Paulo V. Pontifici Max., toti denique Hiſpaniæ eximiè commendatus.

Inter Apoſtolicos Indiarum Viros enituit

tuit ad Annum 1644. Illustriſſ. Franciſcus de Borgia ex Monacho S. Benedicti de Sahagun Archi-epiſcopus de Las Charcas.

Circa annum 1650. Illuſtriſsimus DD. Franciſcus de Berya, ex Comitum de Graxal ſtirpe oriundus, Saguntini Monaſterij Monachus, cùm & eruditionis laude, zelóque propagandæ fidei ferventiſsimus eſſet, Apoſtolicæ functionis munere digniſsimus habitus, Charquenſis in India Epiſcopus renuntiatus eſt, paulò pòſt ad Limenſem Regiæ Urbis Epiſcopatum promotus.

Quò ſimul tempore vel maximè in Imperio Mexicano, Romanæ Eccleſiæ fidelem operam navârunt *Noſtri*, ut oretenus, & ſcriptô Bucelinum edocuêre RR. PP. Societatis Jeſu Franciſcus de Encinas, & Petrus Martinez.

N. IX.

Roborantur hactenus dicta illuſtri duorum Scriptorum ſuffragiô.

NE porro videamur, ex gloriæ domeſticæ zelo in jactantiam declinâſſe; ſed, ut allata hactenus extraneo roboremus ſuffragiô, juvabit in teſtes adducere duos è florentiſsimâ Societate Jeſu Viros, apprimè doctos, & inſignes; Primus ex ijs Bollandus *To. 1. Jan. pag. 368.* ſic ait: *vix ullam eſſe Nationem barbaram, quæ non fuerit aut converſa per ſolicitudinem & laborem Monachorum.*

aut

aut in fide confirmata per fundationem Monaſteriorem, quæ primi terræ illius APOSTOLI *ibi conſtruxerunt; ut eſſent veluti ſeminaria, unde poſſent deſumi Magiſtri ſalutaris doctrinæ &c.*

Alter Chriſtophorus nempe Brovverus, luculentiori adhuc Suadâ merita Noſtrorum exprimens, *Et verò* (inquit) *hujus Ordinis, id eſt, Benedictinæ familiæ, quis noſcit laudem hanc eſſe propriam, ut ambiat meritis, & rectè factorum gloriâ, quàm latè patet, Orbem Chriſtianum? Etenim ut palmus taceam, & adoreas in reliquo Occidente partas, certè innumeras abſtulit ex hac Germania noſtra magna; cujus inferæ, ſuperæ Regionibus, tot retrò ſæculis, hæc unica ferè dedit ſcientiæ, veræq; Pietatis Doctores, Duces, Magiſtros: Unica, inquam, Boreæ Populis citimis, extimis, in magna errorum nocte, prætulit veri, honeſtique facem. Scilicet hac virtutis arduâ viâ, & non mortali doctrinarum curriculo, communem mortalium menſuram ſupergreſſa, pondera tot Cathedrarum ingentia ſuorum humeris, velut Atlas cœlum ſuſtulit; excelſóque loco in Republica Chriſtianâ, non populis duntaxat & urbibus, ſed Principibus terrarum Dominis, benè, beatéque vivendi leges, & præcepta dedit.*

N. X.

Adversus Monachos nonnullorum querelæ.

LOngè alia fuit mens, & animi valde iniqui circa hæc sententia Superioribus temporibus nonnullis; qui Benedictinos, universo licèt Orbi Apostolos dederint, ex *Orbe* tamen in *posteris* (ut *majoribus* scilicet eorum grates referrent) eliminatos cupiebant; quod tamen admiratione non admodùm esse dignum censeo: *Probitati* nempe (ait P. Hay *loc. cit. f. 558.*) *nil vicinius persecutione; quæ justum sequitur, ut umbra corpus: minatur interitum, & vires auget.* (Sanguis Martyrum, semen Christianorum) *Nempe Africus dum procerus arbores creditur dejecturus, figit, firmátque radices. Arcus, nervum quò plus deprimit, hòc telum altiùs jaculatur: Tonitru dum territat arva, refrigerat, & erigit omnia. Vix dum ante sæcula undecim Monachatum plantaverat S. P. Benedictus, jam in vicino horto succreverat Florentius Clericus, qui persecutionem Ordini meditans, non armatam manum, sed imbellem, infandam castißimis Monachorum oculis immisit, & loco, si salvos cuperent animas, cedere coëgit. Durat hodiéque Divino munere Ordo S. Benedicti; durat æmuli Florentij progenies, quæ pulcherrimi nominis objectu fallere dum pergit, multos Monachos lo-*

co

co pellit, sed non Orbe. Sordet in horum naribus, oculis, auribus Monachi nomen, vel procul allatum, idque mallent in Europa sepultum. Nec desunt ex Germanis; qui illud apud Hieronymum epist. 23. ingeminant: Quousque genus detestabile Monachorum non urbe pellitur, non lapidibus obruitur, non præcipitatur in fluctus? *Adeo rarus cespes est, quem â Monachis insideri cupiant. Dum fervet olla, dum loculus turget, amici sunt, sed non diu memores, quippe, qui omnia sibi non tam dari, quàm deberi existimant. Ac, ne pueri nesciant, etiam è rostris rastra in Monachos educunt, dentibus alienum fundum arant, & occant, ut incedentium quoque gressus censura morsu vix liberi sint.*

Displicet (nempe) *quocunque se vertant Monachi: si enim in Cœnobijs contemplationi, silentio, mortificationi sensuum, precibus, lacrymis, & gemitibus, pro salute militantis Ecclesiæ se dederint*, proclamantur inutilia terræ pondera, ventres pigri, *qui bono publico nil conferant; & talibus, ajunt, Monasteria non deberi*, cùm Beneficia Ecclesiastica pro ijs primitus instituta *dicant*, qui publicum Ecclesijs ministerium præstant. *Sin*, *pro publico bono ad populum instituere, animarum conversioni invigilare, Professuras Academicas adire voluerint, replicant altum id Hieronymi:* Monachus non docentis, sed plangentis habet officium.

Ita veteres Antagonistæ apud Eundem: Audiamus quid recens noster Adversarius contra nos congerat. N. XI.

N. XI.

Diluuntur noſtri Adverſarij Objectiones.

OBſtrepit is *f. 17.* adducendo contra Nos cap. *placuit*; cap. *pervenit*; cap. *interdicimus*; cap. *juxta* 16. q. 1. In quibus Monachis interdicitur Prædicatio, & Miniſterium Sacramentorum.

At terriculamenta ſunt hæc, quòd plus fulguris & flammæ, quàm fulminis habeant: Non aliâ quippe interdicuntur hæc mente, quàm ne fiant ſinè licentia ſuorum Epiſcoporum, vel Abbatum, & in alijs Parochijs, in quibus juriſdictionem Monachi non habent &c. uti patet ex illo, quod notatur ad cap. *adjicimus*, *16. q. 1.*

Prædictis autem capitulis opponuntur alia Capitula, videlic. *eâd. cauſ. 16. q. 1.* cap. *doctos*; cap. *ſi Monachus*; cap. *Moderamine*; cap. *ex authoritate*; & vel maximè cap. *ſunt nonnulli* &c.

Adhuc, ut ſolet, reclamat Adverſarius, & *f. 51.* ait: *hoc certum eſſe, Monachos de Jure non potuiſſe Clericatu inſigniri*, ut notat Præpoſitus in Can. *priſcis* 55. diſt. & in Can. *requiſitus* 1. q. 7. *niſi ex cauſa neceſſitatis, ut in d. can. priſc.* & in Can. *moderamine*, & in Can. *ex Auth.* ibid. q. 1. *dicitur.*

Citatur equidem ab Adverſario Canon *Requiſitus*, in toto tamen Decreto, affirmo

sanctè, is non reperitur: quomodo ergo Præpositus in cap. hoc scribere poterat? Fortè erit capitulum *requiritis*? At capitulum hoc non agit de Monachis, sed de Simoniacis; neque aliud in cit. cap. tractat Præpositus, quàm resolvendo, *quid sit rigor Juris? quid dispensatio? quis dispensare possit? quænam sint dispensabilia?* &c. ut dictum tamen Can. *requiritis* intelligas, Notandum est: Leonem Pontificem fuisse requisitum ab Episcopis Britanniæ, an Simoniaci in Ordine simoniacè accepto pœnitentiam agere possint? Et Respondisse: se non posse contra Patrum sententiam dispensare, nisi intuitu pietatis, necessitatis, vel utilitatis; sicut Gelasius ejus Antecessor causâ necessitatis *concessit de Monachis clericos assumi*: ubi glossa in V. *de Monachis* citat cap. *Priscis*, quod non tractat de *promotione ad Clericatum*, sed de *clericali munere*, uti ipsa Rubrica innuit: sed de hoc paulò pòst. Deinde Pontifex in cit. can. *requiritis*, non dicit: concesisit de Monachis *fieri* Clericos, sed de Monachis *assumi* Clericos: ergo inter Monachos jam præsupponebat esse Clericos, aliàs Eos de Monachis *assumere* non potuisset.

Jam ad Can. *Priscis* peculiariter

Respondeo Allegatum Præpositi tractatum de distinctionibus Decreti ad manum mihi quidem non esse: persuadere tamen mihi nequeo, eum adeo cespitasse, ut ex hoc Can. *priscis* probare conaretur Monachos de jure antiquo non potuisse fieri Clericos; dum in

cit.

cit. can. de *promotione ad clericatum* nulla prorsus fiat mentio, sed tantùm de *clericali munere*; quod munus dicit *exercere parochialia, & fungi officiô Parochi*, non ad *Clericatum promoveri*; de illô igitur loquitur citatus Canon, non de istô.

Quod patet ex eo, quòd eo tempore, quô hic Canon à Gelasio scriptus est, ex penuriâ sacerdotum sæcularium, ob hostium rabiem deficientium, Monachi Clericorum parochijs fuerant præpositi.

Hinc etiam Glossa V. *Monasterialibus*: de Monachis Parochis loquitur; ubi tandem cum Hugone concludit: Monachos cum licentiâ Abbatis & Episcopi posse præfici Ecclesijs sæcularibus, juxta 16. q. 1. *cum pro utilitate*, & *c. doctos*.

Consideret Adversarius cit. can. *cum pro utilitate*, & inveniet, illum Canonem esse longè antiquiorem ipso Syricio Papâ, (qui cum Monachis *dispensâsse* malè ab Adversario dicitur, cùm nullatenus dispensaverit cum ijs, sed Clericatu eos ultrò *absque dispensatione* nobilitârit) circa annum nempe 324. factum, cùm tamen Syricius vixerit circa annum 384.

Consideret toties à se, & pro se aliàs citatum cap. *Quod Dei*, *de statu Monachorum*; fateri debebit, Monachos posse de jure ANTIQUO non tantùm ad sacerdotium promoveri, sed etiam paræcialium Ecclesiarum regimen suscipere. Verba dicti cap. sic sonant: *per* ANTIQUOS *Canones etiam Monachi possunt ad Ecclesiarum paræcialium Regimen in Presbyteros*

teros ordinari. Si per ANTIQUOS Canones, cur non de Jure ANTIQUO? cur de Jure duntaxat NOVO?

Ex quo discordantes nonnihil Canones facilè conciliari posse, existimo. Quod si tamen Adversarius pertinax vellet, Monachos jure *antiquo* non potuisse paræcialibus præfici Ecclesijs, & eum in finem fieri Clericos (etsi contrarium omnino constet ex cit. cap. *Quod Dei.*) posset intelligi, quòd Monachi de jure antiquo non potuerint præfici *Beneficiis sæcularibus*: uti factum est tempore Gelasij: potuerint tamen præfici *Regularibus*. Cautum enim forsan jam tum erat, ut Monachi Regularibus, & Sæculares sæcularibus præficerentur Beneficijs.

Porrò, ut ad citatum cap. *Priscis* redeamus: ex eô nullatenus potest erui, Monachos non potuisse ex Jure antiquo Clericatu insigniri, sed tantùm statuitur, ut prius anteacta illorum vita requiratur; quod magìs patet ex c. *si quis* dist. 77. qui Canon desumptus est ex câd. epistolâ Gelasij, ex quâ desumptus est Canon *priscis*.

Imo, si ex isto Can. *priscis* probatur, Monachos de jure non potuisse fieri Clericos, tunc etiam laici non poterant de jure fieri clerici, quia dictus Canon non tantùm de Monachorum, sed èt Laicorum vitâ examinanda loquitur.

Et quod magìs urget: In Can. *Monachus verò Novitius* dist. 77. (qui Canon ex citatâ epistolâ

stolâ desumptus est) majorem difficultatem reperit Gelasius in promovendo laico, quàm Monacho, cum dixit: *ut tantò solicitiùs examinetur laicus, quantum inter mundanam, & Religiosam vitam constat esse discriminis.* Et hæc epistola scripta est Anno 494. ante tempora S. Benedicti.

Canones autem *moderamine*, & *ex auctoritate* planè pro nobis potius militant, quàm pro Adversario, cùm ibi expressè dicatur; Monachos Presbyteros debere frui Beneficijs Ecclesiasticis, & administrare Clericorum officia.

Probo tandem ad hominem, Monachos de Jure antiquo potuisse fieri Clericos: Omnes laici de jure antiquo poterant fieri Clerici; atqui juxta Adversarium Monachi erant laici: ergo.

Denique textus & Canones hujuscemodi de Monachis in solitudinibus degentibus, non de Monachis Benedictinis, sunt intelligendi, utpote facti dudum ante tempora Divi Benedicti: ut sup. Doctissimus Hay advertit.

N. XII.

Confirmantur hactenus dicta

Decretô Bonifacij IV. *Papæ.*

PRoducit hoc integrum mox citatus P. Romanus Hay in *aulâ Eccles.* f. 562. suíque facti rationem ita exponit:

Virtuti, inquiens, *Comes eſt invidia:*

Nullô ſæculô defuerunt, qui pijs Monachorum, Eccleſiæ prodeſſe cupientium, conatibus obſiſterent, & mortuos mundo, ad Monaſteria tanquam funus ablegandos dictitarent, rectè *Veteres Æmuli* â Bonifacio IV. nuncupati, quippe qui ducant originem à Paradyſo, vafriciem à ſerpente, rei vetitæ concupiſcentiam ab Evâ, ſupercilium à lateribus Aquilonis, livorem à Caino. Movit hæc oppreſsio S. Gregorium I. Papam. 16. q. 1. *c. ex auctoritate.* Movit Bonifacium IV. Succeſſorem. *c. ſunt nonnulli*, ibid. Movit nuperrimè facultatis Theologicæ Salmanticenſis Senatum, ut cauſam alioqui liquidam, & non ſemel definitam, denuò deciderent. Et quod Decretum Bonifacij IV. Anno Domini 610. in Concilio Romano ea propter emanatum, & à S. Mellito Epiſcopo Londonienſi in Anglia, omnibúſque Italiæ Epiſcopis laudatum & ſubſcriptum, hactenus nunquam integrum in lucem, quod ſciam, prodierit, nec apud Gratianum *d. q. 1. Cauſa 16.* integrum inveniatur, ex antiquiſsimo MS. Codice in pergameno Bibliothecæ Monaſterij Ochſenhuſani, fugientibus ferè literis deſcriptum, inter Aulæa noſtra expandimus, ac tam nobile Antiquitatis monumentum Lectori benevolo communicamus.

Quod èt ego, ob noſtrum præſertim, in quem Adverſarius invaſit, *Habitum* huc ponendum exiſtimavi.

Decre-

Decretum Bonifacij IV. Papæ, in favorem Monachorum Ord. S. Benedicti.

SUnt nonnulli ſtulti dogmatis, magìs zelo amaritudinis, quàm dilectionis inflammati, aſſerentes, Monachos, quia mundo mortui ſunt, & Deo vivunt, ſacerdotali officiô indignos, neque pœnitentiam, aut Chriſtianitatem, ſeu abſolutionem largiri poſſe per ſacerdotalis officij injunctam gratiam. Sed omnino falluntur. Nam ſi ex hac cauſa veteres Æmuli vera prædicarent, Apoſtolicæ Sedis compar, Beatiſsimus Gregorius Monachico cultu pollens, ad ſummum apicem nullatenus conſcenderet, cui ligandi, ſolvendíque poteſtas conceſſa eſt. Auguſtinus ejuſdem quoque ſanctiſsimi Gregorij Diſcipulus, Anglorum Prædicator egregius, & Pannonienſis Martinus, aliíque quàm plurimi ſanctiſsimi viri, *pretiosô Monachorum habitu fulgentes*, nequaquam annulô Pontificali ſubarrharentur. Neque enim Benedictus Monachorum Præceptor, hujus rei fuit aliquô modô Interdictor, ſed eos ſæcularium negotiorum dixit expertes eſſe debere; quod quidem Apoſtolicis documentis, & Ss. PP. Inſtitutis, non ſolùm Monachis, ſed etiam Canonicis ſummopere imperatur: utriſque enim perſpicacibus ſanctorum Patrum Exemplis, ut mundo mortui ſint, præcipitur. Credimus igitur à ſacerdotibus Monachis ligandi, ſolvendíque officium dignè

administrari, si tamen dignè contigerit, ex hoc ministerio sublimari. Quod evidenter affirmat, quisquis statum Monachorum & *Habitum* considerat; Angelus enim Græcè, latinè Nuntius dicitur; sacerdotes igitur Monachi atque Canonici, qui Dei præcepta annuntiant, Angeli vocantur: sed unusquisque Angelicus Ordo, quantò viciniùs Deum contemplatur, tantò sublimiùs dignitate firmatur.

Nunquid ut *Cherubin* Monachi *sex Alis* velantur? *duæ* in Caputio, quò caput tegitur, veris demonstrantur assertionibus, illud verò quod in brachijs extenditur, Alas *duas* esse diximus; & illud, quò corpus conditur, Alas *duas*. Sic sex Alarum numerus certissimè conficitur.

Decertantes igitur contra Monachos in hac re sacerdotalis potentiæ officiò carere præcipimus, ut ab hujusmodi nefandis ausibus impostorum reprimantur, quia quantò quisque excelsior, tantò potentior. Ex decreto Gregorij Papæ, Episcopus debet Missam celebrare in ordinatione Presbyteri, & Abbas in Consecratione Monachi, & quatuor Evangelia super Caput ejus dicere, ut sicut per quatuor Evangelia docetur, ita per quatuor Orationes consecretur, & ita usque in diem tertium, velatum habeat caput, cum summo silentio, & debitâ Deo reverentiâ, figuram gerens Dominicæ Passionis: Die tertiò tollat Abbas Caputium de Capite ejus, ut depositâ tristitiâ veteris peccati, revelatâ facie gloriam

Do-

Domini ſpeculetur. Secundò ergo Baptizatus eſt, & emundatus ab omnibus peccatis. Unde opportet Eum majorem ſolicitudinem habere, & pro peccatis hominum orare, & plus valere peccata eorum ſolvere, quàm Presbyteri ſæculares; quia hi ſecundùm regulam Apoſtolorum vivant, & eorum ſequentes veſtigia communem vitam ducunt. Ideo nobis videtur, his qui ſua pro DEO relinquunt, & à Paſsione ejus & morte ſumunt exordia mutatæ converſationis, *digniùs* licere baptizare, communionem dare, pœnitentiam imponere, peccata ſolvere. Tribus diebus ſunt in ſilentio juxta Apoſtolos, qui ob metum Judæorum in conclavi reſidebant, uſque dum die tertiâ Dominus reſurgens diceret illis: *Pax Vobis.* Sic Abbas det pacem Monacho, & caputium de capite ejus aufferat. Cenſemus ergo Eos prædicare, baptizare, Communicare, pœnitentes ſolvere, juxta Conſtituta trecentorum decem & octo Patrum. Hucuſque Decretum Bonifacij IV.

Atque hoc ipſum eſt, quô omnia, quæ hactenus fuêre diſputata, abundè roborata ſunto, & comprobata, in ordine præſertim ad *habitum monaſticum*, quem Pontifex *Alis* comparat *Cherubicis*, Adverſarius verò, ut ſuprà videre erat, indignè omnino tractat: de quô pluribus tamen infrà.

DISSERTATIO II.

DE

Speciali Actione *contra Hæreticos, per singula Sæcula digestâ.*

SUMMARIA.

1. *Nunquam non viguêre hæresum Monstra, horúmque Debellatores Benedictini.*
2. *Sæculô* Christi *sextô*, Benedicti *primô profligantur superstites etiamnum Ariani, Donatistæ, Agnoitæ, Sabelliani &c.*
3. *Sæculô* Christi *septimô*, Benedicti *secundô opprimuntur Acephalitæ, Photiniani, Monothelitæ, Græci, Helvidiani &c.*
4. *Sæculô* Christi *octavô*, Benedicti *tertiô debellantur Iconoclastæ, Simoniaci &c.*
5. *Sæculô* Christi *nonô*, Benedicti *quartô triumphantur Bertramiani, Feliciani &c.*
6. *Sæculô* Christi *decimô*, Benedicti *quintô impugnantur Anthropomorphitæ, Sacramentarij &c.*
7. *Sæculô* Christi *undecimô*, Benedicti *sextô vincuntur repullulantes Manichæi, Berengariani, Nicolaitæ, renascentes Sabelliani, Græci &c.*
8. *Sæculô* Christi *duodecimo*, S. Benedicti *septimô conteruntur Henriciani, Petrobusiani, Porretani, Cathari, Albigenses &c.*
9. *Sæculô* Christi *decimô tertiô*, Benedicti *octa-*

vô

vô franguntur iterum Albigenſes, Hannibalini &c.

10. *Sæculô* Chriſti *decimô quartô*, Benedicti *nonô extirpantur Fratricelli, Bohemi, Wicleſiſtæ &c.*

11. *Sæculô* Chriſti *decimô quintô*, Benedicti *decimô repelluntur Hußitæ &c.*

12. *Sæculô* Chriſti *decimô ſextô*, Benedicti *undecimô ſubiguntur Calviniſtæ, Lutherani, Zvvingliani &c.*

13. *Sæculô* Chriſti *decimô ſeptimô*, Benedicti *duodecimô pugnatur contra Calvini, Lutheri &c. Reliquias &c.*

N. I.

Nullô non ſæculô viguêre hæreſum monſtra, horúmque Debellatores Benedictini.

FIgmentorum, quibus antiqua ſcatet Poëſis, umbras in apertam Veritatis lucem Benedictina Religio traxiſſe, mihi videtur: quod enim cecinit Illa vel Herculis de Cerbero, vel Theſei de Minotauro, vel Apollinis de Pythone triumpho, hoc edidêre ſpectaculum Noſtri, dum Hæreſum Monſtra Victores expugnarunt; Quorum Glorioſiſſimo Duci BENEDICTO non immeritò hoc ideireo Emblema adjicias:

—— Monſtra domat Magno Hercule Major.

Omnia

Omnia percurre Sæcula, & nullum reperias, in quo non viguerit & Hæresis aliqua, & Nostratum aliquis ejusdem impugnator, aut extirpator: id, quod per subsequentes numeros pauculis edoctum imus.

N. 11.

Sæculô Christi *sexto*, Benedicti

primô ab Anno 500. *usque* 600. *debellantur superstites Ariani, Donatistæ, Agnoitæ, Sabelliani &c.*

HOc etiamnum sæculô grassabantur in Hispania Gothi Ariani: quis horum impetus, & furias represit? Ipse Monachorum Patriarcha & Antesignanus BENEDICTUS primo statim congressu Regem ipsum Arianorum Totilam unius verbi fulmine trementem prostravit, & ad meliora reduxit. Congressum memorabilem (loquor cum R. P. Arsenio Sulger *in vita didact. S. Bened. n.* 84.) congressum, inquam, memorabilem & propè divinâ plenum majestate ipse Doctor Ecclesiæ S. Gregorius suis verbis narret: *Tum per seipsum idem Totilas ad hominem Dei accessit, quem cùm longè sedentem cerneret, non ausus accedere, sese in terram dedit, cui cùm Vir Dei bis, térve diceret, Surge, sed ipse ante eum se de terra erigere non auderet,* BENEDICTUS JESU *Christi famulus per semetipsum* digna-

dignatus est accedere ad Regem, prostratúmque de terra levavit, & de suis actibus increpavit &c. multa (inter cætera inquiens) *mala fecisti, jam aliquando ab iniquitate conquiesce &c.* Quæso te, Lector, homóne hîc loquitur, an iterum Deus fulminat inter flammas & tonitrua è Monte Syna coruscus? Video prostratum fulmen Italiæ ad pedes Benedicti; sedet iste, jacet ille; tremit & rogitat Victor & Tyrannus, Benedictus insultat & imperat: absunt sonantes tituli, meditata proloquia, serva adulatio, non tinniunt Aulæ phrases. Ausim credere, æternum Numen, uti huic Viro suum esse nomen commune voluit, ita nunc de Majestate Divinâ particulam demisisse; quâ Regem superbum, & recentibus triumphis ferocem tam potenter exterruit; quamquàm aliàs mens conscia recti, & Deo juncta, Regia semper est, nil quod infra Deum est, metuit, nihil timet &c. Pergat narrare Gregorius, & concludat. *Quibus auditis Rex vehementer territus orationem ejus petijt, & recessit, atque ex illo tempore minùs crudelis fuit &c.*

Tantus laureati Ducis (Benedicti) de Rege Tyranno triumphus athleticas continuò vires accendit, & ardentissimum contra eosdem Ecclesiæ hostes zelum in ejus milite discipulo S. Herculano; qui, vivente adhuc S. Patre, ad Perusanum subinde Episcopatum evectus, urbe suâ à Gothis captâ, primus inter Suos, & *pro Suis*, in fide probè roboratis, ceu *Bonus Pastor*, cervice datâ, pretiosissimâ

sissimâ morte pretiosam DEO animam tradidit: *Cujus corpus* (sunt verba memorati Gregorij M.) *quadragesimo post abscissionem die, ita capiti unitum fuit repertum, ac si nulla ferri incisio illud tetigisset,*

Ex monumentis Sublacensibus habetur, Insulam Palmeriam ipsi jam Sanctissimo Patri nostro, ejúsque tum Discipulis fuisse donatam; in eam postea relegatum à Bellisario sanctum Pontificem Silverium, furentium deinceps Sectariorum insultus, ope Benedictinorum, constanter repressisse, & reliquam per Orbem Ecclesiam velut ex alterâ Româ solertissimè æquè ac sanctissimè gubernâsse.

Terror quoque Hæreticorum maximus extitit Magnus noster GREGORIUS; de quô ita Breviarium Romanum: *Catholicam fidem multis locis labefactatam restituit; Nam Donatistas in Africa, Arianos in Hispania repressit: Agnoitas Alexandriâ ejecit, Pallium Syagrio Augustodunensi Episcopo dare noluit, nisi Neophytos hæreticos expelleret ex Gallia. Gothos Arianam hæresim relinquere coëgit &c.*

Sub idem tempus in arenam contra eosdem Ecclesiæ hostes descenderunt in Hispania Ss. Vincentius (glorioſus pro Christo Martyr sub Rege Riciliano) Raimirus, Joannes Vielarensis, Joannes Archi-episcopus Saragosanus, Ephemius Abbas Agalienſis, Æmilianus de Cogolla, Martinus Episcopus Dumiensis &c.

S. autem Codocus cum integrâ Discipulorum

lorum turmâ hoſtibus obviàm generoſus proceſsit : ne tamen ſuppetiæ, quæ identidem ferrentur, unquam deeſſent, publicum inſtituit Gymnaſium, unde errores, circa animæ immortalitatem ſuborti, opportuniſsimè impeterentur.

S. Leander Hiſpalenſis Archi-epiſcopus in Concilio Toletano (cui nomine Pelagij Papæ præerat) eximiam contra Arianos præſtitit operam; quæ pariter luculentiſsimè enituit in converſione S. Hermenegildi Regis, de qua Breviarium Romanum 13. Aprilis prolixiùs. Cui individuum ſe Achatem, & Coöperatorem inſignem adjunxit S. Fulgentius Epiſcopus Aſtigitanus, zelô Arianos ardentiſsimô uſque & uſque inſectatus.

Inter hæc gemina Galliam peſtis invaſit; Arianiſmum una, altera Sabellianiſmum ſpirans: utramque extinxit ſingularis Gregorij noſtri Turonenſis dexteritas, quâ ipſum adeo Regem Chilpericum exitiale virus evomere compulit. Verùm, ut recens extincta candela celeriùs ignem concipit, ita Regem vix ſanatum eadem lues denuo infecit, Gregoriô deinceps operam, & oleum, quod ajunt, perdente. In ſubſidium accurrit & ſuccurrit S. Salvinus Epiſcopus Albigenſis, & Regem à contagione reſtitutô, omne pariter Regnum ruinæ ſubtraxit.

N. III.

Sæculo Christi *septimo*, Benedicti *secundô*, *ab Anno* 600. *usque ad* 700. *profligantur Acephalitæ*, *Photiniani*, *Monothelitæ*, *Græci*, *Helvidiani &c.*

INter ovantium, ex hæresum strage, Nostrorum agmina, primus hoc sæculo occurrit S. Columbanus; qui Mediolanum in Italia Arianismô demum penitus purgavit: stante interea in Hispania S. Isidorô intrepidè contra Acephalitas.

At Agrestinus novo subinde schismate universam tentat Ecclesiam in varias distrahere partes, & factiones: cujus impios conatus, sicut & succrescentes unà hæreses Photini ac Bononij frangunt, evellúntque Monachi Luxovienses; quorum in acie primipili erant B. Agilus Abbas, & Eustasius Monachus, pluribus victorijs illustres.

Pretium ijs addidit, & admirationem ex imbecilliori etiam cætu armata Pallas, S. Burgundofera, Abbatissa Evoriacensis; quæ ausu sanè generoso, & virili prorsus animo Argestino à fronte sese opposuit, ejúsque erroribus palam convictis, non sinè effusissimo Antagonistæ rubore, illustrissimam imbelli cæterà sexui palmam cedere coëgit.

In Oriente S. Mater Ecclesia circa profundissimum Ss. Trinitatis Mysterium ingens

subiit

ſubijt periculum; cui S. Eugenius Archi-epiſcopus Toletanus, Monachus S. Engratiæ celerrimè occurrit, & felicitèr avertit.

S. Theodorus in Germania Abbas ſtabulenſis, & Epiſcopus Leodienſis pro Libertate ac immunitate Eccleſiaſtica conſtanter dimicando, gladijs impiorum glorioſus demum Martyr occidit.

Romæ dum S. Agatho noſter Pontifex Maximus in diverſis, quas crebrò convocavit, Synodis Monothelitarum Hæreſim proſcripſit; S. Theodorus Græcorum errores de Proceſſione Spiritûs ſancti repreſsit.

Fortunatior tamen nullus contrà Heterodoxos pugnavit S. Ildelphonſô Archi-epiſcopô Toletanô; quem, pro illibatæ Virginitatis MARIANÆ Candore certantem, Virgo IMMACULATA è Cœlo conſpicua, candidiſsimâ impertiri veſte voluit.

Iterum Roma per S. Sergium I. damnatô Conſtantinopolitanô Pſeudo-Concilio præclarè de Schiſmaticis triumphat.

In Gallia Monothelitæ proteruntur à S. Audœno, Monacho Rasbacenſi; qui longis pro Eccleſia laboribus inclytus, præmium ferens Pallium Archi-epiſcopatûs Rottomagenſis, labem dein' Simoniacam penitùs extinxit.

Contra errores Britonum de celebratione Paſchatis calamum ſtrinxit S. Anthelmus Monachus Meldinenſis, cui ſuam ſtrenuè operam aſſociavit Adamannus Huenſis Archimandrita celeberrimus: S. Geolfridus Abbas Gentem

Pictavorum, hæresum varietate turbatam, Romanæ Ecclesiæ novo fœdere conciliavit.

N. IV.

Sæculo Christi *octavo*, Benedicti *tertiò*, *ab Anno* 700. *ad* 800. *errores Græcorum, Iconoclastarum, Simoniacorum &c. opprimuntur.*

FElix Germania! cui millies & per myriades millies in BONIFACIO *bene-fecit, et* --- *dixit* Divina Clementia, quando Is Vineam in Te Evangelicam non tantùm sedulus plantavit, sed èt Zizania, quæ oreina subinde invidia Ermvvolfi, Adelberti, Clementis &c. latè sparserat, solicitus continuò evulsit; omnibus nempe omnia factus *Apostolus*.

Græcorum iterum errores & schismata convicit Gregorius noster II. supra omnes humanos respectus altissimi, & constantis animi Vir, Magni illius Gregorij æmulus; necdum enim Pontifex, Con-ultro profectus, de Græcorum erroribus Victor cum plausu redijt: inde ad summum Romani Pontificatûs apicem evectus, Leoni Imperatori Iconomacho, bellum sacrum contra Sanctorum Imagines molienti, toto sese nisû opposuit.

Cùm Hæresin dico, malum dico, quod, ubi semel invaluit, ad instar contagiosi fluminis, in omnes, quà latè patet, Orbis partes

sese

sese pernicioſissimè insinuat; aut, velut a tera deceptrix Orphei Cythara omne genus hominum, nobile, ignobile trahit. Iconoclastarum hæresis Romæ omnino jugulata videbatur, cùm momento quasi ad ipsas Angliæ sese Oras effudit; at, ne latiùs indies malum serperet, obicem posuit S. Berthuldus, Monachus Racvvulfensis, postea Cantuariæ Archi-episcopus, convocatâ eum in finem frequenti Suorum synodô.

De S. Georgio Martyre, ejusdem ævi Benedictino Monacho, ita Martyrologium Romanum: *S. Georgius Limniota Monachus, cùm impium Leonem Imperatorem reprehendisset, quòd sacras Imagines frangeret, Sanctorúmque Reliquias combureret, ejus jussu manibus abscissis, & capite, Martyr migravit ad Dominum.*

Memorati Gregorij II. Virtutis æquè, ac Sedis, nominisque Hæres Gregorius III. suam in Cœlites Pietatem eximiè ostendit, dum devotissimum Eorum cultum non confirmavit modò, sed èt legatione ad Leonem Isauricum missâ, Orientalem Ecclesiam studiô summô, & labore Romanæ copulavit.

Joannis tamen Damasceni nostri felicitatem condignè quis celebret? Cui Benignissima Dei Mater Maria manum ultrò restituit, quam, pro Ejus, & reliquorum Divorum Cœlitum obsequio certantem, impia securis amputavit.

Plurimi quoque eo tempore in Oriente

Monachi, quorum Monasteria jam ævô ipsius S. P. N. Benedicti fuêre condita, pro cultu sacrarum Imaginum glorioſâ occubuêre morte.

Etiam Germania nostra hoc sæculô pluribus Sectarum Victoribus fertilis fuit; & ad Rhenum quidem superiorem S. Othmarus Abbas San-Gallensis; In Augia Divite B. Etho Abbas, Episcopus postea Argentinensis; S. Victerpus demum Prior Elvacensis, Episcopus exin Augustanus invicti contra variarum hæresum insultus stetére.

Virum se Romæ exhibuit infracti, & excelsi animi S. Stephanus IV. in Divi Chrisogoni Cœnobio olim Monachus; abrogando omnia Constantini Pseudo-Pontificis comitia, ejusdémque Acta palam cremando; Cultum præterea sacrarum Imaginum, impiè à Constantino Imperatore sublatum, pristinæ Catholicorum devotioni restituendo.

Claudit hoc Sæculum B. Alcuinus, aliàs Flaccus Albinus, Profligator execrandæ de *adoptivo & nuncupativo Dei Filio* &c. Sectæ acerrimus.

N. V.

Sæculo Christi *nono*, Benedicti *quartô*, *ab Anno* 800. *ad* 900. *triumphantur Bertramiani*, *Feliciani*, *Prædestinatores &c.*

SUborta hoc sæculô pernicioſissima Felicianæ Hæreseos lues, per Septimaniam latè ser-

ſerpens, & ad ipſos Eccleſiæ Inſulas pervadens, Antidotum habuit in S. Benedicto Abbate Monaſterij S. Sequani: univerſi verò Fidei hoſtes malleum ſenſêre in S. Gregorio IV. Novæ Foſſæ olim Monacho.

Bertramum Hæreſiarcham, Ss. Euchariſtiæ invaſorem calamus repreſsit S. Paſchaſij Monachi, & Abbatis Corbeiæ Gallicæ.

Prædeſtinatorum Hæreticorum, & Godeſcalci Hæreſiarchæ in Gallia Victor extitit Himmarus noſter Rhemenſis Epiſcopus: & ejuſdem Godeſcalcianæ labis è Germaniâ Eliminator S. Rhabanus, Archi-epiſcopus Moguntinus, Monachus olim & Abbas Fuldenſis, ſuprà laudatus.

Sæculi hujus epilogus in eo verè felix fuit, quòd tulerit Joannem Diaconum noſtrum; cujus ſagaciſsimô ingeniô Græcorum vafrities Orbi tandem toti innotuit, quâ è Scriptis Divi Gregorij Magni (ubi Spiritum S. à Patre, Filióque procedere aſſeruit) verbum illud *Filióque* expunxerunt; unde factum, ut ſuo tum errori non leve pondus acceſſerit, etſi leviſsimus fuerit aſtus, à Joanne facilè detectus.

N. VI.

Sæculo Christi *decimo*, Benedicti *quintô*, *ab Anno* 900. *ad* 1000. *impugnantur Antropomorphitæ, Sacramentarij &c.*

INitium hujus Sæculi nobili pro Ecclesiæ libertate triumphô consecrârunt Rhemensis Archi-episcopus S. Fulco, Cœnobij olim Bertimiani Monachus, & S. Grimbaldus Monachus & Abbas Sithiensis: Balduinus quippe Dux Flandriæ, ne manus Ecclesiæ Bonis contaminaret, crebrò admonitus, illum exiliô, sævâ hunc nece mulctavit.

Sancti VVimonis Bremensis Episcopi, Monachi priùs Corbeiæ Saxonicæ laboriosa Humanitas efferatissimam Gothorum Gentem ab Arianismi tandem exuvijs ad Ecclesiam, & Christi mansuetudinem reduxit.

Ex Laubiensi propè Binchium Cœnobio prodit S. Ratherius Veronensis Cathedræ Episcopus contra Anthropomorphitas, & Berengariorum superstites Reliquias.

Floriacense in Gallia Cœnobium Archiepiscopatui Cantuariensi dedit S. Odonem, egregium Sacramentariorum Impugnatorem.

Quantum porrò hoc Sæculô laboraverint Nostri, avertendis variarum Hæresum contagionibus, consulendus est, ut prolixitatem vitem, Jacobus Gualterius; inter quos providus

dus omnino occurrit Richardus Antisiodorensis Episcopus, olim Monachus Monasterij S. Germani, contra glisscentes de Eucharistico Sacramento Novatores, egregium conscribens librum. Eòdem collimarunt gemini è Corbeiensi Saxoniæ Cœnobio pugiles Algerius, & Bruno, ceu Vates orituris mox Hæresiarchis occurrentes voluminibus, de Sacramento Altaris, non spernendis.

N. VII.

Sæculo Christi *undecimo*, Benedicti *sextô*, *ab Anno* 1000. *usque ad* 1100. *vincuntur repullulantes Manichæi, Berengariani, renascentes Sabelliani, Græci &c.*

REferunt rerum Gallicarum Scriptores, sub initium hujus sæculi nefariam Manichæorum hæresin denuò repullulâsse; Fulberti tamen Carnotensis Episcopi sagacitate continuò peremptam. Qui Idem Fulbertus, pessimi discipuli (Berengarij) Magister optimus, ejusdem errores librô, *de Veritate Corporis Christi in Ss. Eucharistiæ Sacramento*, primus confutavit.

Fulberti vices mox subierunt, & succenturiârunt tres è Benedictinis Castris adversus eundem Berengarium commilitones: Rogerius Monachus Corbeiæ Saxoniæ; Algerus ejusdem

Professus Cœnobij, jam superiori laudatus sæculo; & B. Guido Monachus Aretinus.

Beatus Hildebrandus Cluniacensis Monachus, S. R. E. Cardinalis Subdiaconus, *Legatus à Latere*, ad reformationem Ecclesiæ Gallicanæ missus, quadraginta quinque Episcopos *Simonis* labe infectos miraculô ad pœnitentiam adegit: Quidam enim horum Episcoporum dicere Versum illum *Gloria Patri* &c. jussus, hæsit omnino, nec *Spiritum sanctum* proferre ullâ vi valuit, donec reatum suum professus, Episcopatui Simonis quæstu acquisito renunciaret.

Nefandam Heriberti, & Lisoij hæresin feliciter pepulit S. Theodoricus Monachus Senonensis, Aurelianensis postea Episcopus.

Anno sæculi hujus ML. Leo Nonus Monachus quondam Tullensis in Synodo Provinciali Romanâ Berengarij hæresin damnavit, teste Eminentiss. nostro Sfondrato, *Gall. Vin. diss.* IV. §. 1. Idem Leo, missô summâ cum potestate S. Humberto, Monacho itidem Tullensi, Orientalium errores sustulit.

Memoratos Berengarij errores confixerunt quoque Lanfrancus Archi-Episcopus Cantuariensis, Beccensis olim Monachus & Abbas; B. Guidmundus Monachus Aversanus; B. Algerius Monachus Cluniacensis; S. VVolphelmus Abbas Brauvvilerensis; Albericus Monachus Casinensis, qui petito unius duntaxat hebdomadæ spatio pro inducijs, librum contra Berengarium conscripsit, tantis Ss. Patrum testi-

teſtimonijs roboratum, ut jure ex meritis acquiſitô hujus eum Sacramenti nobiliſsimum Aſſertorem, Vindicémque dixeris.

Populum Florentinum à Simoniaca labe liberavit S. Petrus Vallis umbroſæ Monachus, Abbas inde Ficedenſis, at non ſinè miraculi adminiculâ: in conteſtationem quippe Veritatis à ſe aſſertæ ſuccenſum ſubinde ignem, ſpectante populo, nudis pedibus illæſus perrranſijt; Petrus ideirco *igneus* deinceps vocari ceptus.

Tres omnino hæreſes confecit ſolus S. Petrus Damianus, invictiſsimi animi Cardinalis, & Sectarijs, cum quibus perpetuum ei bellum, formidandus. Prima fuit Simoniacorum, quos Orbe tandem eliminavit; Secunda Nicolaiſmus, quô ducentis jam annis Mediolanenſes laborârunt; Tertia erat Hæreſis Inceſtuoſorum, quæ, teſte Sfondrato, *lo. cit.* nata eſt Anno MLXV. quàm plurimi enim, imò multa millia Chriſtianorum, præcipuè præpotentium, in tertio gradu nuptias contrahebant, quòd multorum Juris-Conſultorum auctoritate ducti, gradus ex Juſtiniani præſcriptô numerarent, adeò ut fratrem & ſororem in ſecundo gradu collocarent. Pernicioſo huic Dogmati, ùt & cæteris, Damianus noſter ſeſe oppoſuit, tanquam firmiſsimus pro Domo DEI Murus.

Pari conſtantiâ memoratas hæreſes damnavit B. Alexander II. Monachus olim è Laterano.

In pleno Concilij Romani confessu S. Bruno Monachus Casinensis (necdum Episcopus Signiensis) singulari cum Berengario certamine congredi ausus, triumphatô palam Antagonistâ, DEI Ecclesiam acriter ac felicissimè propugnavit.

In profligandâ Gibertina hæresi multùm laboravit B. Urbanus II. quondam Lateranensis, dein Cavensis, tandem Cluniacensis Monachus; gravissimis, priusquam Pontifex renuntiaretur, legationibus contra præfatam hæresin functus.

Circa finem hujus sæculi celebrati sunt frequentes triumphi S. Anselmi nostri Archiepiscopi Cantuariensis contra renascentes Sabellianos, qui opportunam ei occasionem subministrârunt, scribendi doctissimum illud Volumen *de Incarnatione Verbi* &c. Conversus dein in Græcos, & Schismaticos, tanto eis terrori fuit, ut vincula ei injicere frequenter tentantes, solo aspectu consternati, abjectis armis, supplices ab eo Benedictionem efflagitarent.

N. VIII.

Sæculo Christi *duodecimo*; Benedicti *septimô*, *ab Anno* 1100. *ad* 1200. *conteruntur Henriciani*, *Petrobusiani*, *Porretani*, *Cathari*, *Albigenses* &c.

GLiscenti hoc etiamnum sæculô flammæ hæreseos Berengarianæ aquam affudit, incendiúmque prorsus extinxit S. Bruno Monachus & Abbas Casinensis; necdum enim Abbas, summi Pontificis legatione in Gallia functus, Authoritate Apostolicâ Synodum in causa Berengariana celebravit, veterémque hæresin iteratò damnavit.

Sed novum eo tempore excitavit incendium Henricus IV. Imperator; cui sopiendo Chuno Arosianæ Congregationis Monachus, S. R. E. Cardinalis, ad Gallos Pontificis Legatus, coactô in Urbe Bellovacensi Conciliô, Imperatorem anathematis vinculo subjecit.

Anno MCXI. Damnata est ab Innocentio II. hæresis Abailardi; qualis ea fuerit Bernardus his verbis explicat *ep.* 292. *Cùm de Trinitate loquitur*, *Arrium sapit*: *cùm de Gratia*, *sapit Pelagium*: *cùm de Persona Christi*, *sapit Nestorium*. Ad hanc hæresin, quæ paulatim per Galliam serpebat, perimendam, accinxit se S. Bernardus, ab ipso Abailardo Hæresiarcha provocatus; in Concilio Rhemensi congre-

grediuntur: ſed pertinax reverſus Abailardus, Cluniacum Ordinis noſtri illuſtre Monaſterium fortè pertranſit; exceptus perhumaniter à *Petro Venerabili* Abbate tum loci, errorúmque ſuorum convictus, hæreſin non modò exuit, ſed, quæ eſt mutatio dexteræ Excelſi! Religioſum inſuper & pijſsimum quidem induit.

Is idem Petrus Venerabilis, eximium hujus Sæculi decus, Petrobuſsianorum quoque luem extinxit.

Cauſam Innocentij II. Abbatis quondam Ss. Nicolai & Primitivi, contra Petrum Leonis, dictum Anacletum II. Antipapam ſtrenuè defendit Mellifluus Doctor Bernardus Claravallenſis Abbas; cujus porrò merita in oppugnandâ Politicorum Arnaldi de Brixia hæreſi multùm inclaruêre.

Anno MCXLVIII. à Romano Pontifice Eugenio III. Divi Bernardi quondam Diſcipulo, & Abbate Piſenſi, in Concilio Rhemenſi hæreſis Gilberti Porretani examinata & proſcripta eſt, ſuam in hac cauſa operam impigrè navantibus memorato Bernardo, unacum Petro Venerabili, & Godefredo Bernardi comite: qui ijdem hæreſes quoque & ſectas Eudonis de Stella, Henricianorum, Apoſtolicorum dictas, jugulârunt.

Mellitiſsimâ præterea Bernardi Suadâ Mediolanenſes, miſsô, quô conflictabantur, ſchiſmate, Romanæ Eccleſiæ denuò ſunt reconciliati.

Hæreſes in Armorica ortas Scriptis infeſtavit

ſtavit Hugo Archi-epiſcopus Rothomagenſis, Prior quondam Cluniacenſis.

Iterum armata è cætu infirmiore prodit Pallas: ecquænam illa? Sancta Hildegardis, doctiſsimis contra Catharorum errores Scriptis & triumphis Orbi notiſsima: cujus Germanus frater Venerabilis Eckbertus Monachus & Abbas Monaſterij S. Florini ſua contra eoſdem Catharos, Adamitarum hæreſin reſuſcitantes, tela vibravit.

Hæreticorum non minùs, & Schiſmaticorum Malleus apud pleroſque Scriptores audit S. Petrus, Archi-epiſcopus Tarentaſienſis, Bonæ Vallis olim Monachus & Abbas.

Noviſsima hujus Sæculi tempora funeſtârunt nefandâ ſuâ hæreſi Albigenſes: in quos ſurrexerunt prævalidis undique armis Henricus Abbas Claravallenſis, B. Petrus Abbas Igniacenſis, S. Petrus Monachus Fontis frigidi, ſacræ Fidei Inquiſitor, immani nece interemptus; B. Almarius Monachus & Abbas Carolilocenſis, *Fidei Pugil* dictus. S. Amatus ex Monacho Montis Virginis, Nuſcenſis Epiſcopus.

N. IX.

N. IX.

Sæculo Christi *decimo tertio*,

Benedicti *nonô ab Anno* 1200. *ad annum* 1300. *impugnantur iterum Albigenses, Hannibalini &c.*

HÆreticos sui temporis Apostolicô zelô, & ardentissimô defendendæ Catholicæ Religionis studiô persecutus est S. Guilielmus Bituricensis Archi-episcopus; Monachus quondam Grandimontensis, & Carolilocensis postea Abbas, animi magnitudine pro tuenda libertate Ecclesiastica Regi etiam Galliæ, cui se constanter opponebat, formidandus.

B. Fulco ex Abbate Grandis Sylvæ Archi-episcopus Tolosanus, ut Gregem suum ab Albigensium erroribus revocaret, omnem movit lapidem, eâ tandem felicitate, ut revocatô ipsô Albigensium Duce Raymundô Comite Tolosanô, tota deinceps hæresis corruerit: cui simul opprimendæ suam addiderunt operam B. Didacus Oxomensis Episcopus, postea Monachus ad Cistercium, cum alijs suæ familiæ 12. Abbatibus; B. Arnaldus Archiepiscopus Narbonensis, hæreticæ pravitatis Inquisitor, Monachus olim & Abbas Grandis Sylvæ; B. Conradus S. R. E. Cardinalis, Monachus & Abbas Villarensis, Legatus à Latere, Belli demum Dux contra eosdem Albigenses

genſes conſtitutus; B. Petrus de Caſtro Novo Fontis frigidi, hæreſum Corrector & Inquiſitor.

Hæreticos in ore gladij, quod eſt Verbum DEI, (ut loquitur Menologium Henriquezij) *potenter exterminavit, & Veritatem catholicam ſtabilivit* S. Alachrinus Caſæ Mariæ Monachus ac Prior.

Hannibalianam hæreſin obtrivit noſter Gregorius IX.

Errores, quos profligavit B. Alanus Monachus, Doctor olim & Profeſſor Sorbonicus, Converſus poſtea Ciſtertienſis, fuêre ſequentes: *Non eſſe corporum Reſurrectionem, ſed neque Paradyſum, neque Infernum; Idololatriam eſſe Sanctorum invocationem, & imaginum adorationem; JESU Chriſti corpus non aliter in Pane Euchariſtico, atque in alio quovis pane exiſtere &c.* Is cùm in publica ſubinde Diſputatione Romæ ingens Fidei periculum incognitus adverteret, in medium ſubitò progreſſus, ovantes jam jam hæreticos tantâ argumentorum energiâ preſſit, & convicit, ut eorum nonnemo, *Aut Alanus es tu*, exclamaret, *aut Diabolus*; cui Alanus; *Diabolus non ſum, ſed Alanus.* Domum cum Abbate ſuo redux,

Alberici, mox Albigenſium, & VValdenſium nefaria dogmata doctiſsimè refutavit.

N. X.

Sæculo Christi *decimo quarto*, Benedicti *decimô ab Anno* 1300. *ad annum* 1400. *extirpantur Fratricelli, Bohemi, Wicleffistæ &c.*

FElici auspiciô hoc inchoant Sæculum Pugiles nostri, contra diversas hæreticorum phalanges, egregiè dimicando, & Veritatis Victoriam, & palmam Martyrij reportantes. Inter hos ex solo Firmitatis Cœnobio Burgundiæ 50. Monachi ab Hæreticis variô mortis genere interempti, præclaram Martyrij lauream sunt adepti.

Referunt Montalvus, Manriquez, Henriquez, Æneas Sylvius, Paulus Langius &c., innumeros ferè Monachos ob fidei constantiam à Bohemis hæreticis fuisse contrucidatos.

Arnoldi Villanovani hæretici pestifera Dogmata felici calamô exagitavit & vicit Jacobus Richard Populetensis Monachus.

Sceleſtissima Fratricellorum flagitia, eorúmque nefandam hæresin Apostolicâ damnavit Authoritate B. Benedictus XII. Abbas olim frigidi Montis, & Monachus Bolbonensis.

VVicleffi hæresin primi Nostri deprehenderunt; primarij eorum fuêre Guilielmus Brihamus Norfolciensis Monachus; Simon de Langham ex Archi-episcopo Cantuariensi S. R. E. Cardinalis; Guilielmus Bingham Nordovicen-

vicensis Monachus; Utredus Boldon, Dunelmensis Monachus; Simon Sonthrarius, Albanensis Monachus; Joannes VVellins, Ramseyensis Monachus; Joannes Radinghal, & Henricus VVoodhil, Monachi Cantuarienses; Nicolaus Radeliffus, Monachus Albanensis; Adamus Estonius, Nordovicensis Monachus, Episcopus Londonienſis S. R. E. Cardinalis; Joannes Rapotensis, & Petrus Clonensis, Episcopi: de quibus omnibus consulendus est Reinerus noster in *Apostolatu Benedictino*.

N. XI.

Sæculo Christi *decimo quinto*, Benedicti *decimô ab Anno* 1400. *ad Annum* 1500. *tolluntur Husitæ, aliæque variæ hæreses* &c.

IN diversis Provincijs diversis occurrunt hæresibus, & obnituntur Nostri, inter quos eminent: Conradus Sodorensis in Mannia Episcopus; Joannes ex Monacho Clarifontis Derensis Episcopus in Hibernia; Robertus Tonata Scopiensis in Orcadum Insulis; Conradus Ochlenius Ebronensis; Otho ex Monacho VValckenriedensi Mersburgensis ad Salum Episcopus; & alij plures, quos reperire est in *lib. de Provis. Prælat.*

Suum hoc sæculô nefarium erexit caput Joannes Huss, Hæresiarcha Pragensis; qui suâ

Impietate novos ritus, nova Sacra per urbes
Inſtituit, priſcáſque auſus reſcindere Leges.

Cum hoc frequentibus ſe congreſsibus celebrem fecit Mathæus, Monachus Aulæ Regienſis: Zedtlizenſes verò Monachi cum alijs multis contra Huſsitiſmi initia mirabili fervore ad ſanguinem uſque decertantes, illuſtri Martyrij palmâ condecorati ſunt; quibus haud ſegniores extiterunt Monachi Cellæ novæ in Sileſia, ab Huſsitis in odium Religionis omnes trucidati.

In Concilio porrò Conſtantienſi multa contra Huſsitas præclarè geſsit Joannes de Martiniaco Ciſtercienſis, Doctrinæ VVicleffi, & Huſsij cum plena poteſtate examinator.

Singulos pro ſingulis annis Huſsitarum in Bohemia triumphatores referre, immenſus eſſet labor; de quibus, ſicut peculiariter de Monachis Oſſeckenſibus, & Grumachinenſibus, (qui pro fide occubuêre) videantur Annales Ordinis noſtri.

Judex poſt hæc in cauſis fidei deſignatus eſt in Concilio Baſileenſi Joannes, Ciſtercienſis Generalis, & ad Bohemos Orator deſtinatus.

Sed & Germani Abbates (Eberbacenſis, & Lanckheimenſis) ejuſdem Concilij Nuntij, rem ſtrenuè contra Hæreticos geſsêre.

Enituit in Concilio pariter Baſileënſi opera no-

ra noſtri Abbatis *Panormitani*, Pontificis ad id Legatus.

S. Hieronymus Camaldulenſis Congregationis Monachus J. V. D. & Theologus varias varijs libris devicit hæreſes: inter eos ſunt

Contra Hæreticos lib. 1.
Contra errores Græcorum lib. 1.
De Corpore Domini. lib. 1.

N. XII.

Sæculo Chriſti *decimo ſexto*, Benedicti *undecimô ab Anno* 1500. *ad annum* 1600. *ſubiguntur Calviniſtæ, Lutherani, Zvvingliani* &c.

AD hoc Sæculum dum progredimur, obvius fit decantatiſsimus inter Alemannos Trithemius, ſui Miraculum temporis, *totius Arcâ Sapientiæ* à Joachimo S. R. I. Electore Brandenburgiæ appellatus; qui gliſcentium per Germaniam hæreſum ſemina, & anguem, quod aiunt, in herba ſuffocaturus, Eccleſiam varijs adverſus impiorum technas voluminibus præmunivit. Quorum præcipua ſunt:

1. De Fide & Intellectu.
2. De Fide neceſſaria ad Salutem.
3. De Miraculis Infidelium.

4. De Scriptura Sacra.
5. De Prænotionibus licitis Christiano, & non licitis.
6. De Reprobis & Malefitijs.
7. De Promissione Divina.
8. De Providentia Dei.

Et verò, quod Trithemius ceu Vates ominatus est, paulò pòst accidit: Anno quippe 1517. desciscens à Religione M. Lutherus novum hæresis multiformis monstrum produxit, ex quo innumeræ aliæ sectæ, erroresque nati, & propagati, quibus tota fere Europa infecta fuit, & fædissimis, quæ indè emanarunt, bellis involuta, hæresi Duce. Unde optimè Poëta:

Hâc duce vastatos luget Germania campos,
Omnis ubi sparsis ossibus albet ager;
Hâc duce civili maduerunt sanguine rivi,
Anglia sive tui, Gallia sive tui.

Dum mala in Germania crescunt, & vires unà Acatholicorum, deficientibus potentissimis Germaniæ Urbibus, Monachis tamen Benedictinis nec animus defecit, nec fidelitas contra hæreticos, licèt pleraque eorum Monasteria fuerint expilata, ipsíque de Sede sua ejecti. Quos inter Diethelmus Blarer à VVartensee S. R. J. Princeps, & Abbas San-Gallensis Novatores stupendâ animi constantiâ, armísque impavidus attrivit.

Victoriæ contra hæreticos triumphum palmæ Martyrij junxerunt in Anglia Ricardus VVehin-

VVehintinger Abbas Glaſtemburienſis; Joannes Torre, & Rogerus Jacob, ejuſdem Cœnobij Profeſsi; Duo Abbates VVallenſis, & Saulienſis; Guilielmus Hadoc Monachus VVallenſis; Abbates Riverienſis, & Fontanenſis; Yttinus Glaſtonienſis Abbas; Hugo Feningdoni Abbas Redingenſis; Joannes Becus Abbas; Ruggus, & Onionus Cloceſtrenſes: de quibus conſule Reynerum *in Apoſtolatu Bened. Anglia.*

In Germania ſuperiore non ſinè graviſsimo vitæ periculô pro DEI Eccleſia & Impeperio in cauſa hæreticorum ſtetit, ac plurimum laboravit Gervvicus Abbas VVeingartenſis ex Blarerorum illuſtri familia: quem proinde, indictô Conciliô Tridentinô, convenire, déque re Catholica cum eo conferre à Pio IV. juſſus eſt Nuntius Apoſtolicus: de quo ita Mezgeri in *Hiſtoria Saliſburg. lib. 4. c. 58.* Vineæ quoque VVeingartenſes inſignem tulêre botrum Gervvicum Abbatem: hic vinô generoſiſsimi Zeli ebrius, omnem conatum in avertendâ, & eliminandâ è Suevia hæreſi adhibuit: quod feliciter alijs etiam in ditionibus præſtitit; & Cæſaris Legatus juramentum fidelitatis exegit. Adfuit tandem publicæ, eíque ultimæ Ulmenſi ſupplicationi, in Solemnitate Ss. Corporis Chriſti; ubi præſente & comitante Imperatore Carolo V. Ss. Sacramentum ipſe circumtulit.

Ad idem quoque Concilium in cauſa Fidei nomine totius Eccleſiæ Helveticæ miſſus eſt Joachimus Abbas, & S. R. I. Princeps Einſidlenſis.

Nec Monachi Itali in tanta hæresum illuvie & turbelis torpebant; testis est insignis liber Jacobi de Leccio Monachi de Congregatione Cœlestinorum, quô impia Hæresiarcharum Dogmata egregiè elusit, ac convicit.

Interea hæresis (inquiunt Mezgeri *lo. cit. lib. 5. c. 4.*) non contenta dimicare stylo, & calamo, secures & gladios in Catholicorum capita acuebat. Anglia, ubi hæresis erat in solio collocata, arena fuit, quæ identidem sanguinem Martyrum bibens, & semper sitiens, cruentis spectaculis crudeles hæreticorum oculos quotidie pascebat. Illustrarunt illam glorioso certamine unico anno 75. supra 200. Religiosi è sola D. Benedicti familia, præter alios innumeros. Glorioſum inprimis fuit Martyrium, & inauditô miraculô divinitùs nobilitatum 40. Monachorum Monasterij Magiensis in Hibernia è familia Cistercienſi.

Cùm anno 78. in pervigilio B. Virginis Assumptæ insana hæreticorum manus ingenti furore arietatis & effractis foribus Monasterium irrumperet, Monachi omnes, concursu ad templum factô, ante Ss. Eucharistiæ Sacramentum procubui sese paratas pro fide victimas offerebant, & mutuis ad mortem fortiter obeundam cohortationibus firmati, hostilem ferociam præstolabantur. Adfuerunt illi insana cum vociferatione, singulósque, decussis capitibus, crudeliter immolarunt.

Contigit, dum hæc fierent, Promumcondum (Cellerarium vocamus) negotiorum

causâ

causâ Monasteriô abesse; qui câdem die regressus, cùm neminem in Claustro, multa verò vastata, expilata, sùsque déque versa inveniret, suspicabatur, hæreticos expilatores adfuisse, & Monachos metu dilapsos, ad tutiora se recepisse. Verùm ubi ad templi Chorum suspenso gradu pervenit; en triste spectaculum! videt 40. suorum Confratrum victimas demessis capitibus in proprio cruore natantes. Tum enimverò singulorum cadavera obire, sublata deosculari capita, cruori lacrymarum imbres affondere, quos fluctuans inter gratulationem & commiserationem affectus expresserat. Ita aliquamdiu affectui suo indulgentem subit memoria, pervigilium esse celeberrimi Festi Assumptionis B. Virginis MARIÆ, atque horam instare, quâ solenni Vesperarum obsequio Cœli Regina antehàc colebatur. Hinc novo luctu obrutus, quòd tanta festivitas absque debito, solitóque cultu esset abitura, genibus humi defixis rorantes oculos, manúsque in Cœlum attollens, *Nosti*, exclamavit, *O! Virgo purissima! unica Domina, & Protectrix nostra! quantâ isti solicitudine, devotione, & diligentiâ semper tibi serviverint in hâc domo, & celebrarint omnia Festa tua. Cur ergo permitis, ut tanta solennitas negligatur hoc modo?* Dum ita inter lachrymas & suspiria perorat, en! Stupendum prodigium! subitò omnes Monasterij campanæ nullâ manu admotâ pulsari, sanctorum Martyrum corpora moveri, surgere, suum quod-

libet caput humo attollere, collo imponere, ſuis ſe quilibet ſedilibus collocare, præcinente Abbate Veſpertinas horas decantare, eâ cantûs dulcedine, quæ cœleſtem prorſus Muſicam loqueretur. Quæ dum fierent, ipſorum quilibet coronâ caput redimitus, & palmam manu geſtans apparuit. Abſolutô tandem magnâ gravitate & morâ Veſpertini cantûs obſequiô, priſtinâ rurſus in ſtatione, in quâ priùs Martyrium ſubierant, depoſitis capitibus procubuerunt. Id miraculum totâ Hyberniâ vulgatum plurimum valuit ad firmandam fidem nutantium populorum.

Ad decantanda Joannis Feeknami Abbatis VVeſtmoaſterienſis contra hæreticos certamina, & triumphos integer non ſuffieeret liber; ipſos quippe ſectariorum Anteſignanos ad certamen provocare auſus, ter & frequentiùs ob fidei conſtantiam, & Veritatis Catholicæ defenſionem carceri mancipatus, in eo tandem gloriosè occubuit.

Atque ita quidem in Anglia hæreſis in Catholicos religioſos ſæviebat: at non mitiùs in Belgio cum ijſdem agebatur, ex quibus Fidei ac catholicæ veritatis teſtimonium propriô obſignavit ſanguine Cornelius Poldermannus Monachus S. Salvatoris Antverpiæ, Abbas poſteà Zirizeenſis Holandiæ, ejúſque ſubditi Monachi, ab hæreticis immaniter trucidati.

Strinxit etiam ſtylum contra graſſantes in Belgio hæreſes, (teſtibus ijſdem Mezgeris *ibid.*) poſt alia quàm plurima in omni Aſceſeos

ſeos genere præclara opera, Venerabilis Ludovicus Blosius, Abbas Lætienſis, in Myſtica Theologia, doctrináque Aſcetica facilè Princeps, meritis, & doctrinâ præſtantiſsimus: cujus Scripta Auguſtiſsimo Imperatori Carolo V. ſummô fuerunt in pretiô, & uſu, ita ut ex eorundem lectione tum Imperij negotijs occupatus, tum maximè in ſuo ſupremo ad D. Juſtum ſeceſſu ſacra ſolatia caperet: Is cùm Patriæ turbas, & quotidiana hæreſum incrementa cerneret, magnô mœrore affectus, à præſentibus ad æterna feliciſsimo obitu transijt anno 66.

In Gallia Calvino & Luthero occurrit ſtrenuè præclarum Eccleſiæ, litterarum, & Ordinis Benedictini Sydus Gilbertus Genebrardus Aquenſis Archi-epiſcopus, editô Chronicô notiſsimus, à pluribus, præſertim à Poſſevino in *Apparatu ſacro* celebratus; ſepultus in Semurienſi Monaſterio Ejuſdem Ordinis, ubi Priorem egerat. In monumento medio legitur hic verſus:

Urna capit cineres, nomen non Orbe tenetur.

D. quoque Franciſcus de Sales ipſius honori hos verſus ſcripſit:

Abſtulit una dies ævi decus, ictáque luctu,
Conticuit ſacræ triſtis facundia linguæ.

Huic junge P. Gabrielem Gifford, ſive, à S. Maria, ex Benedictino Monacho Archiepiſco-

piſcopum Rhemenſem, qui èt ipſe Calvinum validiſsimè impugnavit.

Auſpicatiſsimum hoc etiam ſæculo initium ſumpſit Congregatio noſtra Anglicana; cujus ſe Monachi quartô Miſsionis Votô pro Anglorum converſione obſtringunt. De hac pulchrè Reynerus in *Apoſtolatu Bened.* quem conſule, ſicut & alios Chronicorum Hiberniæ, Scotiæ, Britanniæ, Bohemiæ &c. Scriptores, ubi innumeros fere Monachos Benedictinos reperies, qui hôc ſæculô *pro lege DEI ſui certarunt uſque ad mortem*, perpetuô contra hæreticos triumphô.

N. XIII.

Sæculo Chriſti *decimo ſeptimo*, Benedicti *decimô tertiô pugnatur contra Calvini, Lutheri &c. reliquias.*

VT porrò luculentiùs conſtet, quantum dictæ Congregationi noſtræ Anglicanæ converſio Hæreticorum in Anglia, Scotia, Hybernia cordi ſit, placet ob oculos ponere ipſam, quâ ſeſe obſtringunt, Profeſsionis formulam; Hæc ita: *Ego N. Monachus Profeſſus promitto, ſpondeo, & voveo coram DEO, Beatiſsimâ ſemper Deiparâ Virgine, & Beato noſtro Benedictô &c. me ſemper paratum fore, in Angliam Fidei Catholicæ propagationis cauſâ redire,*

redire, atque ibi permanere, indéque reverti ad locum mihi destinatum, quando, & quoties mihi præceptum fuerit à Reverendissimo Patre Præside Missionis, & Congregationis Anglicanæ.

Et verò præclaros, quos celeberrima hæc Congregatio tulit, fructus, Hæreseósque Anglicanæ generosissimos recensere Debellatores, laboris foret longè maximi: paucos adjiciam, eósque duntaxat, quos glorioſa Martyrij exornavit corona. Inter eos autem enituêre *Marcus Barckvvortus*, *Bernardus Treiur*, *Eugenius Ogallahure* Abbas S. Mariæ de Sumaria; quorum primus coronam Monasticam, eô ipsô die, quô occisus est, tonderi sibi fecit, habitúmque Monasticum (quem apertè portare in Anglia prohibebatur) reassumpsit: Duo verò posteriores capite truncati.

B. VVilhelmus VValchæus in carcere tredecim annos detentus, & in exilio ex vulnere mortuus.

Georgius Gervasi, proprio sanguine purpuratus.

Joannes Robertus de Mervinia, Thomas Helmius, suspensi, eviscerati, & in 4. partes dissecti.

Guilielmus Scotus, post crebros carceres, occisus.

Nicolaus Taganus sclopetô ab hæreticis tactus, paulò pòst occubuit.

Egregia pro fide certamina *Ambrosij Barlo*, *Albani Röe*, *Philippi Poveli* Historia Salisburgensis *lib. 5. c. 30.* ita describit; Anglia quoque

quoque Cœlo Benedictino his temporibus præclaros Martyres dedit; Inter complures tres eminuêre, qui in ferali ligno glorioſum trophæum propugnatæ Catholicæ veritatis feliciter fixerunt. Fuit inprimis P. Antonius Barlo in Duaceno D. Gregorij Monaſterio Congregationis Anglicanæ Monachum profeſſus: is patriam, quam ſanctæ fidei amore reliquerat, eodem affectu generoſè repetens, cùm ultra viginti annos magno animarum luero in propagando fidei negotio deſudâſſet, præter Doctoralem, Martyrij quoque coronam accepit, pro defenſione S. Rom. & Apoſtolicæ fidei Lancaſtriæ ſupremo ſupplicio affectus, anno Chriſti milleſimo, ſexcent. quadrages. primô, ætatis ſuæ 55. Statûs Monaſtici 25. Sacerdotalis vigeſimo quartô.

Sequenti mox anno pridie Calend. Februarij in eodem agone feliciter certavit Venerab. P. Albanus Roë Congregationis Anglicanæ Presbyter, & Monachus Anglus, in Monaſterio S. Laurentij de DEI cuſtodia, Diœceſis Tullenſis profeſſus, circa annum ſuæ ætatis ſexageſimum, ob fidei catholicæ profeſſionem, & Sacerdotalem functionem Londini more Anglicano ſuſpenſus, eviſceratus, & in quatuor partes ſectus.

Addidit à ſui ſanguinis purpura ſplendoris auctarium generoſus Chriſti Athleta Philippus Povelus, ex VVallia nobilibus parentibus oriundus, quem ab anno ætatis decimo ſexto R. P. Auguſtini Backeri Ordinis noſtri

noſtri Londini diſcipulum, poſteà in Duacenо D. Gregorij Cœnobio Monachum, zelus animarum orthodoxæ fidei aſſerendarum in patriam reduxit, in qua ab anno vigeſimo ſecundo hujus ſæculi ad annum uſque quadrageſimum ſextum animabus lucrandis indefeſſam locavit operam. Flagrante demum hoc anno inter Regem & Parlamentum bellô, dum Catholicis in regio exercitu merentibus curâ & ſolatiô aſſiſtit, â Parlamentarijs capitur, & patibuli ſupplicio addictus, decimâ Julij glorioſam Martyrij curſum abſolvit, cùm priùs plures concaptivos, quos inter unus Centurio, & duo nobiles, ad veræ fidei & ſalutis viam ſanctâ perſuaſione in carcere perduxiſſet.

Sed & Germania victrici in hæreticos calamô floret, rubéſque recenti etiamnum Martyrum ſanguine. Duorum Principum *Sfondrati* San-Gallenſis, *Redingij* Einſidlenſis incomparabilem fidei Catholicæ zelum abundè demonſtrant præclara contra peſtilentiſsimos tractatus Heideggeri Tigurini Volumina. R. P. Joachim Tabernicius, Cellæ Mariæ infra Anaſum fluvium Monachus, & Parochus Inzerſtorfenſis, ſæpiùs nova Acatholicorum Dogmata convellere auſus, ab ijs demum interceptus tredecim læthalibus ſauciatus ictibus, glorioſô Martyriô occubuit; cujus Animam plures Sectarij etiam, & duo viri Orthodoxæ Religionis in ſpecie ſplendidiſsimæ ſphæræ Cœlum petere conſpexerunt.

Dedit èt Vicinia inſignem Martyrem in floren-

florentissimo & Imperiali Monasterio Vineatum (Weingarten) imò dedit Monasterio (ajunt Mezgeri sæpiùs citati *in Hist. Salisburg. lib. 5. c. 30.*) Martyrem hæreticus furor Religiosissimum juvenem Venerab. F. Rupertum ex Illustrissima familia Comitum Khuen de Belasi, Liechtenberg &c. Jo. Jacobi Archiepiscopi Salisburgensis ex fratre nepotem. Hunc, dum cæteros Religiosos fuga servaret, febri vehementi detentum, Sueci irruentes anno trigesimo secundo deprehenderunt. Mox ligatum verberibus immaniter cædunt, suspensum aliquoties in sublime tollunt, donec nigresceret, semineçem rursus demittunt, novósque cruciatus admovent. Tandem unus truculentior asciam gravi ictu in caput infligit, è quo vulnere generosissima anima corpore soluta, Cœlum petijt. Fuit vitæ innocentissimæ, & Regularis disciplinæ observantissimus, suúmque fatum non semel prædixerat; insuper nemine adhuc hostis adventum suspicante, fugiendum, & quâ viâ disertè præmonuerat.

Et hæ prodigæ sanguinis effusiones sunt illæ eruentæ lacrymæ, quibus *Monachi* Benedictini *plangentis officiô funguntur.*

DISSER-

DISSERTATIO III.

De speciali Actione *pro tuendâ Sede Apostolicâ.*

SUMMARIA.

1. *Arctissima* Apostolicam Sedem *inter*, *&* Benedictinum Ordinem *Necessitudo.*
2. *Ermenoldi Abbatis Pruveningensis mira pro* Sede Apostolica *Constantia.*
3. *Novissimi* Ejusdem *Defensores.*

N. I.

Arctissima Apostolicam Sedem *inter*, *&* Ordinem Benedictinum *Necessitudo.*

QUàm arcta Apostolicam Sedem inter, & Benedictinam Propaginem necessitudo semper viguerit, rerum à Nostris gestarum illustrissima passim exempla testantur. Veterum etenim si perlustremus Annales, multi occurrent Heroës, & invicti Spiritûs Abbates, qui decumanas exantlarunt calamitates in Apostolicæ Sedis obsequium. Dolenda sunt bella, & odia, quibus in Christi Vicarios toties permulti Cæsarum depugnaverunt: sed æquè deprædicanda pietas est, ac Fortitudo Nostrorum, qui sanctâ quadam, & simplici, at simul

mul admirandâ Generositate se se opponentes, *Petri* Thronum, & Hæredes supremis viribus tuebantur.

Tempore certè Gregorij VII. Papæ, & Henrici IV. Imperatoris schismatici, pluribus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus ex Ordine D. Benedicti facilius accidit in exilium, quàm à Pontificiæ Sedis reverentiâ, cultúque abire. Omnes illi perpessi sunt ærumnas, ne degenerum in Ecclesiam Filiorum perpeti notam cogerentur. Unum ex innumeris duntaxat cape sis exemplum.

N. 11.

Ermenoldi Abbatis Pruveningensis mira pro Sede Apostolica *Constantia.*

GEneroſam animi, quam mira ſimplicitas geminavit, Conſtantiam exemplô planè ſtupendô oſtendit contra ipſam adeò Cæſaris Majeſtatem Ermenoldus Abbas Pruveningenſis, de quo Trithemius (cujus ipſa do verba) in *Chronic. Hirſaug.* ſequentia refert.

Quadam vice (inquit) Henricus Rex V. qui fuit ejus nominis Imperator IV. Ratisbonæ exiſtens cum S. Præſule Ottone animi recreandi causâ paululùm digreſſus, ibat novum videre, quod Epiſcopus conſtruxerat, Pruveningenſe Monaſterium, habens in comitatu ſuo Principes, ac nobiles quàm plurimos.

Nun-

Nuntius ad Virum Dei Ermenoldum præmittitur, adventus Cæsaris simul & Sancti Fundatoris nuntiatur. Quod Vir Dei audiens, & sciens, Imperatorem eo tempore pro suis demeritis à Romano Pontifice excommunicatum, nec pulsari campanas permisit, nec, ut moris erat, cum solenni processione Fratrum illi obviàm processit, sed omnia Monasterij ostia & valvas obserari præcepit; ne Imperatori anathematizato ullus pateret ingressus; districtè prohibens, ne quis subditorum in occursum cujusquam procederet, nec verbum quantumcunque parvum alicui diceret. Ipse tamen extra Monasterium Cæsaris præstolabatur adventum, ne vel ex fastu, vel ex contemptu hæc agere putaretur. Venientem propiùs Cæsarem his verbis Vir sanctus alloquitur: *Libenter*, inquiens, *& officio salutandi satisfacerem, debitúmque honorem Cæsareæ Majestati exhiberem, si te communione Sedis Apostolicæ privatum nescirem.* Ad hæc Imperator commotus, non zelô Justitiæ, sed ex felle amaritudinis eum talia proferre existimans, & offensum propterea, quòd munera quondam ab ejus fratre accepisset, quorum indignatione Laurisensem resignaverat Abbatiam, respondit: *Nimis inconsultè & præcipitanter honore vos tantô Domine Abba privâstis*; cujus suspicioni Vir Dei obviare cupiens, simplici animo dixit: *Novit omnipotens Deus, qui nihil ignorat, non me hujus injuriæ (si tamen injuria dici queat) memorem & ultorem, sed hæc facio*

intuitu Juſtitiæ DEI *ſolius, & pro reverentia Sedis Apoſtolicæ, cujus mandatis contradicere non licet.* Ad hæc S. Otto Fundator loci adſtans, quaſi mediator inter diſſidentes: neminem, ait, vitare tenemur, de cujus nobis excommunicatione non conſtat. Quò contra Vir Dei Spiritu Fortitudinis roboratus, nec Gratiæ deferens Fundatoris, nec terrori cedens Cæſareæ Majeſtatis, quin veritatem liberè teſtaretur, ſic reſpondit: *Quomodo poſſum ſententiam ignorare, quam ore meo memini promulgatam?* Stupebant omnes Ermenoldi Conſtantiam: quam aliqui in bonam, plures verò, ut fieri ſolet, in malam partem interpretati ſunt. Diſcedunt, qui venerant omnes, & nec unus quidem ex eis Monaſterium ingredi potuit.

Et conſimilia quidem quàm plurima Trithemius ſuggereret; ſed nolim ultra chartæ anguſtias provehi, aut Antiquitatis ſcrutari rudera, quando ex haedum ætate diſcere id liquidiſsimò poſſumus, & producere ex Ordine noſtro Literatiſsimos Viros, qui Veritatis, & Apoſtolici ſimul Throni patrocinium ſoli ſuſceperunt.

N. III.

Noviſsimi Ejuſdem *Defenſores.*

PRodierunt nempe annô lapſi ſæculi ſeptuageſimô quintô in magnam Pontificiæ Authori-

thoritatis imminutionem & præjudicium *quatuor illæ Gallicanæ Ecclesiæ Propositiones?* Quid ad illas Sorbona? Ingemuit linguæ suæ servitutem, non jam è Ss. Scripturarum & Canonum, sed edicti Regij præceptô loqui jussa, cùm silere maluisset. Quid exulans è Gallia olim, & per Pontificem Romanum restituta, eique hinc obstrictissima Jesu Societas? Indoluit per suos Maimburgos, & Laschesios ad funestum ejusmodi bellum classicum cani. Quid reliqui per Orbem Christianum status, & Religiosæ Familiæ? Omnes ferè metu aut reverentiâ concussæ, obmutuêre.

At non sic in Ordine Benedictino, ubi Veritas, & aura liberior, ab Aulæ assentatione procul.

In aciem itaque contra potentissimos hostes descendit Josephus Saënz de Aguirre Professor Salmanticensis emeritus, ac pluribus tomis tam theologicis, quàm philosophicis in lucem editis famosus; qui pro Apostolicæ Sedis Authoritate insigne volumen elaboravit, & sudoris impensi præmium tulit ab Innocentio XI. Galerum purpureum.

Descendit in aciem Augustinus ille Redingius, Celsissimus S. R. I. Princeps & Abbas Einsidlensis in Helvetia, in cujus subtili cerebro Hipponensium Antistitem revixisse putâsles.

Descendit in aciem Cœlestinus Sfondratus, ad S. Gallum adscititiô nomine Eugenius Lombardus dictus, postea ejusdem Mo-

nasterij Celsissimus Princeps, demum S. R. E. Cardinalis.

Nobilissima Trias ista in Christiano Orbe sola fuit, quæ contra Christianissimum in materia prorsus difficili stringere calamum auderet, nec desisteret, donec hostis palinodiam caneret. Ut adeò S. Gertrudis nostræ Oraculum adimpleri hâc ætate videatur, quod vaticinabatur: *Sedem Apostolicam à Benedictino Ordine ad finem usque Mundi defensum iri.*

PARS

PARS V.

DE

Antiquitate Ordinis Hierarchico-Benedictini,

Et

Canonicorum Regularium.

DISSERTATIO I.

De Antiquitate Ordinis Monastici in communi.

SUMMARIA.

1. Antiquitas *Venerabilis quidem, sed dubia.*
2. *Posset Monastici Ordinis* Origo *ab* Apostolis *facilè derivari.*
3. Origo *Ordinis Monastici reducitur non ultra tempora Pachomij, & Antonij.*

N. I.

Antiquitas *venerabilis quidem, sed dubia.*

NEmo, inter homines aliquando versatus, aut historicæ rei peritiâ vel leviter tinctus, inficias ibit, *Antiquitatem* in pretio, & veneratione ubique gentium, & omni

semper ætate fuisse. Illa certè genuinum imprimit characterem Nobilitatis; quam, si nuper è cunis primùm evoluta sit, despiciunt omnes; ac è diverso, si venerandam plurium sæculorum canitiem in fumosis Majorum Ceris præferet, suspiciunt universi. Frequentiora tamen, & robustiora simul litigiorum semina, quàm ex dilaudatæ hactenus *Antiquitatis* occasione, aliunde non nascuntur.

Nam cùm ejusdem obscurissima subinde vestigia supersint, & fastorum incerta sæpè fides accedat, amplissima certandi, errandíque simul libera quasi facultas relinquitur. Quapropter (ut ingeniosè observat Clariss. P. Raslerus S. I. *in Diplom. Lind. Defens.*) *pronius nil, quàm in rebus antiquissimis, & circa ipsam antiquitatem post quamlibet etiam diligentiam à vero aberrare.*

Et, *si aliquando hæsit aqua* (inquit Plinius *Præfat. Hist. nat.*) *cogitet Lector, quàm sit res ardua, vetustis novitatem dare, novis Authoritatem, obsoletis lucem, fastidijs gratiam, dubijs fidem.*

Experti sunt idipsum duo ætatis hujus nobilissimi Scriptores, Papebrochius, & Mabillonius, quorum neuter erubuit, in tam amico, ingenioslóque certamine, sæpiùs alteri palmam deferre, ut inter eruditos mutuis uterque suffragijs, & Victoris glorioli nomen, & Historiographi undequaque versatissimi famam consequeretur.

Rei igitur antiquariæ, tot difficultatibus,

bus, nodísque implicatæ discussionem aggressurus, Ducem sequor Mabillonium, cujus in punctis admodùm intricatis audire sententiam, & amplecti deprædicatus toties Papebrochius ipse persæpè consuevit. Sit ergo

N. II.

Posset Monastici Ordinis Origo *ab* Apostolis *facilè derivari.*

PLacuit, titulum hunc *obliquè* tantùm insinuare, & non *assertivè* ponere, ut quâ semper modestiâ tueamur Nostra, magìs liquefiat: Ad id ipsum tamen non propriâ aliquâ impulsi sumus ambitione, sed Adversarij jactantiâ; qui, ut se, Suósque extollat magìs, nósque deprimat, arrogat immerita sibi tempora, & ab ipsis adeò Apostolis Canonicorum Regularium Ordinem deducere conatur; sed, quàm feliciter, infrà videbimus.

In præsenti jam afferemus sanctorum Patrum luculentissima testimonia, ex quibus, si collubesceret, possemus perquàm efficaciter ostendere, *Monastici Ordinis* Originem *ab ipsis* sanè *Apostolis* derivari.

Primus pro parte nostra stat Cassianus, qui *collat. 18. c. 5.* ante plus, quàm 1200. annos asseruit, quòd vita Cœnobitarum acceperit suam *originem à prædicatione Apostolorum*,

& quòd Communitates Monachorum sint tales, qualis fuit hæc sancta *multitudo fidelium, quorum erat Cor unum, & anima una.*

Pergit hic Auctor eodem loco, quòd *antiquissimum Monachorum genus* perpetuò sinè interruptione continuatum fuerit usque ad tempora Pauli & Antonij, qui fuerunt principalia ornamenta hujus sancti Instituti.

S. Hieronymus *de Script. Eccles. in fide* ait: *Talis primò credentium fuit Ecclesia, quales nunc Monachos esse censemus.*

Subsiste hîc Paulisper, amice Lector! & mirare: Hunc ipsum textum ausus est pro *Canonicis Regularibus* citare Adversarius *f. 234.* Sed benè; ipsos enim quà *Regulares* esse simul *Monachos*, suprà demonstravit Mabillonius.

In eandem pro nobis sententiam loquuntur Episcopi congregati apud Theodonis — villam Anno 844. (*Conc. ad Theod. c. 3.*) quando statum nostrum honorârunt titulô *sacri Ordinis Monastici inspirati à Deo, & ab ipsis Apostolis* FUNDATI.

Et S. Bernardus idem sensit, cùm dixit: *Apol. ad Guil.* quòd *Ordo Monasticus fuerit Primus in Ecclesia, cujus Apostoli Institutores.*

Et, si modica hæc, si adhuc dubia, si nondum certa esse videantur, (verba sunt Mabillonij) dicemus cum Petro Damiani *Op. 28.* quòd Apostoli duxerint genus vitæ, sicut nostrum, & non sicut illud Canonicorum; *Nostrô, non vestrô more vivebant.*

Dicemus

Dicemus cum Patribus Concilij Germaniacensis Anno 843. Ordinem Monasticum esse proximum perfectioni Apostolorum: *qui perfectioni Apostolicæ meliùs congruit*: & cum Patribus Concilij Sigesteronensis *Anno 859. Apostolicæ perfectioni viciniùs adhæret.*

Dicemus denique cum Bonifacio IV. & Urbano II. in Decreto Concilij Nemausensis Anno 1096. quòd Monachi Sacerdotes *digniùs* cæteris Sacramenta administrent: *quoniam secundùm Regulam Apostolorum vivunt, & eorum sequentes vestigia, communem vitam ducunt.*

Universa hæc gravissimô & illustri pro more suffragiô confirmat celeberrimus Societ. Jesu Theologus Suarezius *To. 3. de Relig. l. 3.* qui asseverare de statu religioso in communi sustinuit. Eum quoad substantiam & essentiam à Jure divino ducere Originem: *nam ab ipsomet Christo*, inquit, *institutus est.*

Adstipulatur novissimè Jacobus Masenius ejusdem Societatis Scriptor, in libro de *utili curiositat. Mirum esse*, inquiens, *quâ Acatholici hoc Institutum* (Religiosorum) *novitatis insimulare audeant, & Lutherus hanc, quam Apostoli instituerunt, vitam dissuadere, atque inauditâ licentiâ dissolvere.*

Huc inclinant etiam *Imaginis primi sæculi Societatis Jesu* Scriptores, qui nefas esse, asserunt, alium dictæ Societatis agnoscere Auctorem, quàm ipsum Jesum Christum.

Caramuel *in Reg. S. Bened. dis. 10.* ait: *Ab ipsa Mundi infantia, imò ab ipsius exordio*

fuisse Institutum monasticum, religiosámque militiam, licèt non in ea perfectione, quâ nunc viget, manifestum esse. Nam si (pergit ille) *ad primum omnium Parentem oculos vertamus, necessitate quadam naturæ solitarium in toto terrarum orbe reperimus: quam solitudinem à natura ipsa indictam, utpote sapientissimus, ad mores reduxit, & æquo animo ferens, virtutem fecit (ut in proverbiis est) ex necessitate. Non est digna silentio Conjux ejus amantissima Eva, quæ sicut in peccato occasio, sic individua comes in pœnitentia. Hos igitur vitam pœnitentiam egisse, liquet.* Hactenus Ille.

N. III.

Origo *Ordinis Monastici* reducitur non ultra tempora Pachomij & Antonij.

AD initium igitur quarti sæculi, vel ad finem tertij in Ægypto fuêre ejusmodi Ascetæ, qui ad imitationem Terapeutarum vivebant in campis, locisque separatis, quæ vocabant Monasteria.

Ex quorum numero erant S. Paulus primus Eremita, & S. Antonius. S. Hilarion imitatus est illorum exemplum in Palæstina.

S. Pachomius, postquàm aliquamdiu fuit discipulus S. Palemonis Eremitæ, ædificavit Monasterium Tabenitarum in superiori Thebaide circa annum 315. & successivè alia, ex qui-

quibus formavit unam Congregationem, cujus velut Generalem egit.

Theodorus ejus Diſcipulus *in Cod. Regul.* & S. Antonius, *in vita illius apud Bolland. n. 76.* eum recognoſcunt pro Authore vitæ Cœnobiticæ. S. Hieronymus ejuſdem opinionis fuit, *in ſuo Prologo ad Regul. S. Pachomij.*

Ecce! concludit Mabillonius (cujus omnia ferè verba huc tranſtuli) Ecce! inquit, quæ ſit verè *Origo Ordinis Monaſtici*, ut altiora petere nolimus.

Alia, credo, mens foret Adverſario, ſi pugnantium pro Canonicis Regularibus Ss. Patrum, Doctorúmque tam ſpectabilem cumulum haberet; quantùm ſibimet blandiretur! quâ verborum pompâ uteretur! quibus Religionem ſuam præconijs eveheret!

DISSERTATIO II.

De Origine Ordinis Hierarchico-Benedictini.

SUMMARIA.

1. *Ordinis Hierarchico-Benedictini* Origo *poſſet ad ipſa etiam Apoſtolorum tempora reduci.*
2. *A D.* BENEDICTO *non fundata tantùm Religio, ſed èt ipſa Regula promulgata eſt.*
3. *Regula Divi* BENEDICTI *antiquiſſima.*

N. I.

N. I.

Ordinis Hierarchico-Benedictini Origo *posset ad ipsa etiam Apostolorum tempora reduci.*

POstquam priori dissertatione attulimus tot Patrum, ac Doctorum insignes sententias, quibus Monasticæ vitæ Propago ad ipsa Apostolorum tempora manifestè refunditur, levi nunc brachiô possemus eandem Antiquitatis prærogativam Religioni Hierarchico-Benedictinæ arrogare.

Nam, *tempore S. Benedicti*, docet Mabillonius, *antiquos Monachos non nisi unum Corpus constituisse*; *Divisionem autem factam in diversos Ordines, accidisse primùm diu post S. Benedictum.* Hinc si Religionem Benedictinam ut reliquis antiquis Monasticis in eodem sacro Corpore cohærentem inspiciamus, perspicuè deprehendimus, illam ex eodem stemmate, & *ab ipsis* pariter *Apostolis descendere.*

Eâdem præterea facilitate persuaderi à nobis posset, non FUNDATORIS, sed REFORMATORIS munere potiùs defunctum fuisse BENEDICTUM; cùm Eminentissimus Cardinalis Baronius in Martyrologio Romano pronuntiare idipsum videatur, quando graviter affirmat: quòd collapsam in Occidente Monasticam Disciplinam restituerit.

Verùm procul absit à pijssimis in Proto-

paren-

parentem Filijs tanta impietas, & ingratitudinis ſummæ dedecus. Illuſtrior nobis eſt Chariſsimi Patriarchæ Memoria, quàm ut alienò eam nomine obſcuremus; & charior Filijs ſuis BENEDICTUS, quàm ut alium degeneres Parentem ſubſtituant.

N. II.

A Divo BENEDICTO *non Fundata tantùm Religio, ſed & ipſa Regula promulgata eſt.*

VNanimes igitur profitemur, aſſerimus, & propugnamus, Religionis Benedictinæ non alium eſſe Conditorem, Authorem, & FUNDATOREM, quàm Divum BENEDICTUM; in hoc ſolo & unico (ut loquamur cum Apoſtolo) *gaudium noſtrum eſt, & Corona noſtra.*

Natalem proinde Religioni noſtræ ea dedêre tempora, quibus ſanctiſsimus iſte Legislator ſuam conſcripſit Regulam, ſuiſque Diſcipulis obſervandam propoſuit: quod factum eſſe, ex ejus Vitâ conſtat, circa Annum Chriſti DXXI. poſtquam, conſtructis apud Sublacum Monaſterijs duodecim, Caſsinum petijt, ut inde per univerſam Europam ſuum diffunderet Ordinem; *quaſi funeſtiſsimâ illâ ætate comparatum fuiſſet hoc vivendi Inſtitutum, tutiſsimum adverſus humanas miſerias refugium.*

Et

Et verò S. Benedicti Regulam ipsò adhuc vivente in Italia maximè promulgatam, ac disseminatam fuisse; nemo ante Gallonium Cæsaris Baronij Patronum dubitavit. Nimirum Gallonius, ut sibi commissam Baronij causam de Gregorij Magni Professione Æquitiana propugnaret, Benedicti Regulam, quoad vixit, latuisse, & à Simpliciò duntaxat, tertiò ejus Successore, divulgatam fuisse, commentus est infeliciter.

Certè non pauca Monasteria à S. Benedicto excitata, ac suismet sinè dubio instructa legibus fuisse, nemo inficias ire potest: siquidem præter duodecim, quæ in solitudine sublacensi condidisse legitur, Cœnobium Terracinense, teste *Greg. in lib. 2. Dial. c. 22.* constructum curavit. Quid? quod ipse brevi moriturus Mauro Discipulo suo, in Galliam proficiscenti, Regulam propriâ manu exaratam concesit? An fortasse invidendo subtraxit popularibus, id quod cum exteris benignè communicavit?

N. 111.

Regula Divi Benedicti *Antiquissima.*

Antiquitas Religionis, quæ super cæteras præcellentiæ titulum parit, susceptæ in ea *Regulæ Antiquitati* commensuratur: *Regulæ* porrò *Antiquitas*, ut præcedentiæ comparet effectum Alumnis suis, & jure prælationis

lationis ac præeminentiæ gaudeat, non ab *Inſtitutionis* per Fundatorem, ſed *Approbationis* per Apoſtolicam Sedem factæ tempore, ac anno dimetienda eſt; Illa ergo Religio, & Regula pariter illa *Antiquitatis*, prælationis, ac præeminentiæ tenet primatum, quæ prior à Chriſti in terris Vicariô approbata eſt. Quemadmodum in pluribus Capitulis expreſſiſsimi textus docent, ac innuunt: ut in *Clement. 1. de Religioſ. Domibus*; in *cap. Cum exeo, de ſent. excom.*; & in *Can. Conſuluit, qui Clerici vel volentes*; & in *Can. Perniciosam.* Antequam enim confirmentur hujuſmodi Regulæ, non ſunt in conſideratione quoad effectum Juris, ſed ſunt in rerum natura tantùm de facto, ait Gemm. in *Cap. Quorundam, de Elect. in 6.* Abbas *in Cap. Nimis 2. de exceſſ. Prælat.* Petrus de Monte *in ſua Monarchiâ q. 5. & alij.*

Si nunc tempus inſpiciamus, quô S. Benedicti Regula à ſummo Pontifice approbata fuit, intelligemus, certiſsimum ac indubitatum eſſe, quòd ſpecialiter, expreſsè ac nominatim approbata, confirmatáque fuerit: Primò quidem à S. Gregorio Papa *in Vita S. Benedicti ab eodem conſcripta.* Secundò, per Alexandrum II. *in Can. juxta Chalcedon.* Tertiò per Bonifacium Papam IV. *in Can. Sunt nonnulli.* Quartò per Concilia Aurelianum *Cap.* 3. Triburienſe *Cap.* 13. Toletanum *Cap.* 5.

De prioritate autem Approbationis hu-

jus

jus ejuſdem Regulæ ante approbationem Regulæ S. Auguſtini tractant ex Profeſſo Joannes Ant. de Pappia *in ſuis recollect. fol. 57.* Lancellotus. Decius *per integrum Conſilium fol. 97.* Rolandus de Curte in ſuo *Conſilio fol. 120.* Jo. Bapt. de S. Blaſ. in *ſuo Conſilio fol. 338.*

Cùm igitur ambiguum prorſus, & incertum omninò ſit, quò tempore D. Auguſtini Regulam ſummus Pontifex approbaverit; & ſtante hôc dubiô juxta mentem prædictorum Doctorum approbatio Regulæ S. Benedicti ſit antiquior approbatione Regulæ S. Auguſtini; ac inſuper quotieſcunque in Jure de Monachis, & Regulâ S. Benedicti fit mentio, toties Monachi cum Regula ſua Canonicis Regularibus, eorúmque Regulæ præponantur; hinc indubitata, & rationabilis præſumptio erit pro Regula D. Benedicti, eandem in approbatione priorem eſſe, & antiquiorem approbatione Regulæ S. Auguſtini.

Neque huic aſſertioni obeſt, quòd præcendant Adverſarij, à Gelaſio Regulam S. Auguſtini approbatam fuiſſe in *Can. Sancta Romana Eccleſia 15. diſt.*

Reſpondetur enim, quòd ibi generaliter tantùm approbentur Opera D. Auguſtini, quæ non ſunt contra fidem, nec contra bonos mores, ſinè omni expreſſa mentione ipſius Regulæ.

Unde, quia Regula cujuſcunque Inſtituti ſpeciatim, nominatímque per Pontificem approbari, & confirmari debet, nullô defendi modô

modò poterit, quòd vi hujus Canonis Gelasiani, generaliter loquentis, approbata sit Regula D. Augustini; aliàs Regula Divi Hieronymi, cujus Opera in eodem Canone Gelasij pariter sunt generaliter approbata, posset pariter dici confirmata; de quo tamen in Jure nec apicem reperies.

Verùm, expeditis his, Adversarius se jam opponit, asseritque *fol. 4.* ante Concilium Lateranense censentur omnes Regulæ ipso Jure approbatæ *per Cap. fin. de Rel. Dom.* Glossa *in Cap. unic. §. penult. eod. tit. l. 6.* Item *text. in Can. parsimoniam.*

Respondeo, Dictum *c. fin.* (quod desumptum est ex Concilio Generali Lateran. Anno 1216. celebratô) solùm præcipere, ut ij, qui ad aliquam Religionem velint Converti, unam de Approbatis assumant, non autem dicit, omnes Regulas ante illud Concilium esse approbatas ipsô Jure, vel approbatas censeri debere.

Imò Concilium Lateranense, per quod Regula S. Augustini approbata dicitur, longo tempore post approbationem nostræ Regulæ per Gregorium Magnum factam, celebratum fuit. *Cap. autem unic. eod. tit. in 6.* solumodò confirmat supradictum *Cap.*

Tandem Can. *Parsimoniam* desumptus ex Conciliô Gangrensi anno 328. ante tempora S. Augustini habitô, præcisè temperantiam ciborum & Vestium laudat, ac dissolutionem Clericorum vituperat.

Post hæc non video, quid Religionis, ac Regulæ nostræ sacram *Antiquitatem*, & prælationis, ac præeminentiæ Jus vocare in dubium queat.

DISSERTATIO III.

An Canonici Regulares suam Originem *trahant ab Apostolis?*

SUMMARIA.

1. *Adversarius* Originem *Canonicorum Regularium ad Apostolorum usque tempora extendit.*
2. *Expenduntur Decreta Pontificum.*
3. *Expenduntur Suffragia Doctorum.*
4. *Expenditur pondus Rationum.*
5. *Expenditur Ratio palmaris, cui fundamenta Adversarij, hactenus assignata, innituntur.*

N. I.

Adversarius Originem *Canonicorum Regularium ad Apostolorum usque tempora extendit.*

QUidam è Doctissimis Canonicis Regularibus nostri temporis, apud Mabill. *in 1. Responsô*, rectè dixit: quòd Ordo Canonicorum Regularium similis sit certis fluminibus, quorum cursus in tantam se longitudi-

tudinem extendit, ut *Origo* illorum necdum potuerit inveniri.

Scitur, quando Benedictini, Carthuſiani, Ciſtertienſes, & alij Religioſi incæperint; at quantum ad Canonicos Regulares, nemo hominum adhuc indagare potuit verum principium, nec cognoſcere verum Authorem.

Plerique tamen eorum ſua incunabula extendunt ad *Apoſtolorum* uſque *tempora*, & eâ quidem fiduciâ, ut Adverſarius audacter aſſerat: *Eos, ſive ignorantiâ, ſive livore ductos fuiſſe, qui primævam hanc lucem ſancto Ordini eripere, ac novitiam affingere allaborarunt.*

Hanc Ordinis ſui Apoſtolicam Vetuſtatem roborat deinde Decretis ſummorum Pontificum, Authoritate Doctorum, & pondere denique rationum. Quàm efficaciter autem? Videamus.

N. 11.

Expenduntur Decreta

Pontificum.

ADverſarius pro ſtabilienda ſuâ opinione, adducit Bullas Summorum Pontificum ferè duodecim, Urbani I. Paſchalis II. Calixti II. Honorij II. Benedicti XII. Martini V. Eugenij IV. Nicolai V. Sixti IV. Pij IV. & Pij V. ac denique Pauli III.

Quorum, præſertim Pij IV. & V. Decreta exiſtimat ita eſſe irrefragabilia, *ut, ſi*

non convincant, planè nullam videat viam superstitem, quâ per illorum summam Authoritatem aliquid probetur. Pro quo tamen

Adverte I. In Bullis Pontificum aliqua contineri, quæ se habent *narrativè*, alia quæ *assertivè*.

Adverte II. In aliquibus *Juris*, in aliquibus *facti* quæstionem involvi.

Adverte III. Vetustatem Ordinum pertinere ad quæstionem *facti*, non *Juris*.

Adverte IV. Ea, quæ in Bullis continentur purè *narrativè*, & non *decisivè*, non probare; ut Adversarius ipse fatetur, & apud omnes in confesso est.

Jam verò, cùm prædictæ Bullæ nil *assertivè*, aut *decisivè* contineant in ordine ad *Antiquitatem* Canonicorum Regularium, sed *narrativè* duntaxat procedant, hinc perspicuum est, eas prorsus non probare; præsertim circa quæstionem *facti*, in quo fundatur Vetustas Ordinum, à summa Sede nunquam hactenus definita. Cúmque dependeat hæc ipsa Vetustas ex re Historica, ac relatione eorum, qui à summis Pontificibus gratias postulant; *hujusmodi sic relatis* (ait Eruditissimus Papebrochius in *1. p. Responsionis &c.*) *nec minimum quidem punctum majoris, quàm antea habuerint, probabilitatis inde accedit.*

Cui suæ opinioni illustrandæ, quærit (Papebrochius) ex Adversario suo, an quotiescunque favorem aliquem, seu privilegium à Pontifice quis petit, titulô singularis Nobilitatis,

catis, aliorúmve, quæ adferri ſolent multa, & ſpecioſa; quærit, inquam, an ſi Pontifex in Diplomate indulti reſpondeat, *Caium* EG. *exponi ſibi feciſſe, quod ſit ex illuſtriſſimâ natus proſapiâ* &c. propterea tanta Caji nobilitas Pontificiô Oraculô confirmata ſit? aut etiam plus, quàm antea habuerit, accipiat probabilitatis? Profectô, qui Regijs Nobilitatis Cenſoribus aliud Nobilitatis ſuæ teſtimonium non proferret, an non is ſibilis hominum exciperetur? Hactenus ille.

Nec obſtat clauſula ex *certa ſcientia & motu proprio*, quæ procedit in ijs, quæ in *jure* conſiſtunt, non autem de his, quæ conſiſtunt in *facto*, & præſertim in *antiquo*: quia tunc talis clauſula non operatur. Bald. apud Tamburin. *to. 1. diſp. 25. q. 1. n. 288. & 289.*

Imò juxta Papebrochium *lo. cit.* Pontifici *etiam frequenti conſiderationis indagine aliquid perluſtranti & intra Clauſtra pectoris ſolicitâ meditatione diſcutienti* (his nempe Verbis utitur Bonifacius VIII.) *obrepere poteſt in ijs, quæ purè hiſtorica ſunt, cujus falſitas non obſit principali intento.*

Nec inde Authoritati Pontificum quidpiam derogatur: quando verſantur in materia (nempe Hiſtorica) in qua ſe homines eſſe, & humani nihil à ſe alienum putare profitentur. Uti eorum Verbis demonſtravit Idem ibid. Quis autem, concludit denique, *à Romanis Pontificibus, in quanticunque momenti negotio, majorem exigat, diſtinctiorémque rerum præteritarum*

tarum scientiam, quàm cujusque ferebant tempora?

Inter hæc fatetur etiam ipse Adversarius in Responsione ad argumentum Francisci à S. Augustino, *n.* 425. plures Pontifices fuisse, qui S. Augustinum *Fundatorem sui Ordinis* vocaverint.

Hos igitur Pontifices oppono alijs prædictis Pontificibus.

Dicit: Ob notabilem reformationem S. Augustinum dicendum esse quidem *Fundatorem*, sed minùs rigorosè, & *quasi-Fundatorem.*

Dixerim ego pariter, in citatis quoque Pontificum Decretis Apostolos *Fundatores* quidem dictos fuisse, at in sensu minùs rigoroso, ac *Quasi-Fundatores*, ob communem eorum vitam, quæ serviebat pro Idea, & exemplo tam Ordini Canonicorum, quàm Monastico.

In rem denique nostram, Decretis Pontificum opponere nos possemus suffragia Patrum superiùs allegata, quorum in consimili materie Authoritatem non Eruditi tantùm, sed ipsi etiam Pontifices venerandam semper habuerunt. Illi ergo longè apertiùs loquuntur (ut suprà vidimus) stántque pro *Origine* Monachorum ab *Apostolis* derivatâ, quàm isti Pontifices, quorum aliqui nullam, alij admodùm obscuram faciunt mentionem hujus existimatæ antiquitatis Canonicorum Regularium; plures verò eorum *Fundatorem* nominant S. Augustinum, quem ipsi tamen pro *Reformatore* solummodò agnoscunt.

N. III.

N. III.

Perpenduntur ſuffragia Doctorum.

ADverſarius poſt ſummos Pontifices ait: *in ſuam ſententiam concedere celeberrimos Hiſtoricos, Theologos, Aſcetas, & Authores omnes, unô vel alterô exceptô, quos vel livor, vêl ignorantia in contrarium detorſit.*

Ecquinam illi *omnes?* Tres citat duntaxat, aut quatuor, qui diverſæ à Canonicorum Regularium ſint Religionis. Quibus nos paucu-lis integrum poſſemus opponere exercitum; in quô Triariorum quaſi vices ſubeunt celeberrimæ Univerſitates, *Patavina, Ferrarienſis*, & *Bononienſis*, unanimi pro Benedictinis ſuffragiô contendentes, ut juxta ipſos etiam Adverſarios apud Tamburin. *loc. cit. n. 292. & numerô, & gravitate communem conſtituant opinionem.*

Ex quo deduco, Adverſarium in Doctorum ſuorum Authoritate blandiri ſibimet nullatenus poſſe.

Quin reor inſuper, Doctorum illius ætatis judicium gravioris haud eſſe momenti in materia purè hiſtorica, qualis eſt antiquitas, indigens longô & accuratô examine, quod ante Baronij tempora non admodùm frequenter adhibebatur; Hinc idem Baronius non illicò in cujuſvis *Referentis* etiam *Sancti* conceſ-

sit sententiam, ut patet ex illa Historia, quæ refertur à Paulo Abbate, quòd S. Leo *Papa primus, cùm propriam manum obtruncâsset, ut libidinis ignem restingueret*, per Virginem à S. Luca depictam, eam recuperarit. Id certè (ipsomet Paulo fatente) *Baronio durum videtur*, nec valet credere, licèt *à S. Antonino*, aliisque relatum.

Ecce! quantam apud Baronium fidem inveniant Authores etiam Sancti in re historica, quam non ex industria pertractant? S. Antoninus autem unus è præcipuis habetur, qui pro parte stat adversâ. Idem die de Vincentio Bellvac., Gersone &c.

Horum (ni fallor) Authorum tempore summâ adhuc laborabat caligine res historica, ut oculatissimo etiam cuique à Veritatis scopo aberrare pronissimum fuerit.

Felicior est nostra hæc Ætas, quæ per suos Baronios, Spondanos, Jepesios, Bollandos, Papebrochios, Mabillonios in re Historicâ summam adepta est lucem. Nec tamen Authores illos ullius propterea ignorantiæ arguas; cùm neque ab his (ut suprà dictum de Romanis Pontificibus) *major exigenda, distinctiórque rerum præteritarum scientia, quàm cujusque ferebant tempora.*

N. IV.

Expenditur pondus Rationis.

HAnc Adverſarius iſtô complectitur ſyllogiſmô: *cui adæquatè convenit definitio, illi etiam convenit eſſe definiti, ut patet ex Philoſophiæ ſummulis; & quia definitio ex naturâ ſua eſt conſtitutiva rei, idcirco etiam eſt diſtinctiva ab omni alio; atqui Apoſtolis convenit adæquatè definitio Canonici Regularis, ergo Apoſtoli fuerunt Canonici Regulares &c.*

Ad minorem probandam in memoriam revocat definitionem Canonici Regularis, eámque prolixè & particulatim adaptat Ss. Apoſtolis; ac denique Univerſaliter ita concludit: *ergo ex Authoritate ſummorum Pontificum, Doctorum, Hiſtoricorum* (è quibus tamen nullum ferè, ut dixi, impartialem obſervo) *& ratione penitus eſt irrefragabile, quòd Ordo Canonicorum Regularium ſit realiter Inſtitutus, & obſervatus à Ss. Apoſtolis, eorúmque Diſcipulis.*

Pondus Rationis hujus (ſi quod ſubſit) triplici ego eliſerim reſponsô: Primò, Remittendo ſyllogiſmum in eum, è quo prodijt, ſinum; cui adæquatè convenit definitio, illi etiam convenit eſſe definiti, atqui Apoſtolis adæquatè convenit definitio Monachi, ergo Apoſtoli fuerunt Monachi. Minor conſtat ex deſcriptione Monachi in omnibus Aſcetis obviâ; (non autem illâ,

quam suo è cerebro fabricavit Adversarius: de quâ alibi.)

Secundò, Retorquendo argumentum in S. Paulo primo Eremita: Huic convenit definitio Eremitæ, & fuit primus Eremita, ergo *instituit* Ordinem Eremitarum? Negatur consequentia; cùm Discipulos habuerit nullos, aut reliquerit, *quos instituerit ipse*; ait sæpè citatus Papebrochius.

Tertiò denique: Transmittendo totum syllogismum, negando illatum: Aliud enim est, *Ideam* constituere vitæ Canonicorum Regularium, aliud *instituere Ordinem* eorundem.

Fecerint prius Apostoli, non tamen fecêre posterius. Sicut ergo ex eo, quòd Apostoli dicantur, observâsse perfectionem monasticam, adeóque fuisse Monachi, non continuò infertur, ergo *instituerunt*, ergo *fundarunt* Ordinem Monasticum; ita nec ex eo, quòd dicantur Apostoli observâsse perfectionem Ordinis Canonici, aut fuisse Canonici, inferri continuò poterit, eos *instituisse*, & *fundâsse* Ordinem Canonicorum Regularium.

Etiam Prodromus Christi Joannes Baptista verus extitit Christianus, & Religionis Christianæ observator exactissimus, cum tamen Christianismi *Authorem*, aut *Fundatorem* prudens quis edixerit?

Aliud est *observâsse* perfectionem alicujus Ordinis, aliud *fundâsse* ipsum Ordinem secundùm illam perfectionem, ut patet in S. Paulo

Paulo primo Eremita ſuprà citato, in quo Poſteri non *Fundatorem*, ſed *Exemplar* duntaxat habuere, licèt Eremitarum vocetur *Auctor & Magiſter*; nec enim *Inſtitutio nimìs crudè accipienda, ſed rigoroſiùs ad modum aliorum Ordinum, puta Prædicatorum, Minorum*, ut cum Papebrochio iterum loquar, locô ſuprà citatô.

N. V.

Expenditur Ratio palmaris, cui fundamenta Adverſarij, hactenus aſſignata, innituntur.

DIvus Lucas *Act. c. 4.* ait: quòd *Jeroſolymis fuerit multitudo fidelium, & eorum cor unum, & anima una, nec quisquam eorum, quæ poſſidebat, dicebat aliquid eſſe ſuum, ſed erant ipſis omnia communia.*

Ex iſto textu evincere omni conatu laborat Adverſarius, quòd, ſicut ſecundùm Caramuelem noſtrum, ejúſque ſequaces, *laici* primitivæ Eccleſiæ Apoſtolorum exemplô tria Regularium Vota ediderint, ſic incredibile eſſe, eadem Vota non fuiſſe edita ſaltem à multis, ſi non ab omnibus primitivæ Eccleſiæ Clericis. *Quis enim credat* (inquit *fol. 228.*) *Clericalem Religionem ſub tribus Votis à Chriſto, vel Apoſtolis inſtitutam, ſtatim cum ipſis Apoſtolis adeò intercidiſſe, ut ad ſolos laicos devoluta, neminem è Clericis habuerit ſequacem?*

Hæc

Hæc nimirum, pergit ille, *palmaria illa eſt ratio, quæ ſummos Pontifices, Ss. Patres, Theologos, Hiſtoricos, aliósque Authores pene omnes adeò in noſtram coëgit ſententiam, ut vix unum alterumve Lexicographum reliquerit ſuperſtitem, quem Caramuel ſuæ ſectæ advocaret Patronum.*

Hem! Palmariam, diu jam inquiſitam Adverſarij contra nos rationem, textum nempe ſacræ Scripturæ citatum!

Ad quem tamen eviſcerandum, Notare juvat; Ex eo nec Caramuelem, nec ullum illius ſequacem attentâſſe unquam evincere, Statum Monachalem ita fuiſſe Apoſtolis coævum, & in laicis primitivæ Eccleſiæ conſervatum, ut in Apoſtolis ſui Inſtituti veros agnoſcant *Fundatores*, & *Inſtitutores*, ſed Exemplum duntaxat, & Ideam, cùm alium quilibet Ordo Monaſticus agnoſcat ſui Inſtituti *Fundatorem*.

Quod ſi ergo Canonici Regulares ex hoc contextu non eruere velint aliud, quàm *exemplar* & *Ideam* celebris ſui Inſtituti, hanc illis gloriam tantiſper indulgebimus.

Interea priùs oſtendatur, neceſſe eſt, Clericalem Religionem ſub tribus Votis ab Apoſtolis *verè* fuiſſe *inſtitutam*, quàm credamus, eandem ſub *hac ratione* fuiſſe *conſervatam*. Etſi verò Adverſarius exiſtimet, *cuivis id etiam mediocri ingenio evidens eſſe*; ea tamen mihi evidentia, aliisque non obſcuri ingenij Viris necdum apparet, etſi omni mentis intentione in eam inveſtigemus.

Funda-

Fundatores ergo Ordinum, eorúmque *Antiquitatem*, & continuam ſeriem apertis oportet Demonſtrationibus exhiberi, non conjecturis duntaxat, aut pijs credulitatibus; ubi præſertim agitur de *Antiquitate*, quæ Parti adverſæ ingens damnum accerſit & præjudicium.

Nec mirari ſatis unquam poſſum, auſum fuiſſe Adverſarium aſſerere, per *palmariam iſtam rationem Authores pene omnes in ſuam cogi ſententiam*, cùm tamen abundè conſtet, contrariam opinionem eſſe *communem*, & pro eâ ſtare integras Univerſitates. Adverterint nimirum Doctores noſtri, Inſtitutum Canonicorum Regularium habere *ſimilitudinem* quidem cum Communitate Apoſtolorum, non tamen *omnimodam*; quia ab Apoſtolis, indiſcriminatim recipiebantur omnis generis perſonæ, *mulieres*, *liberi*, *uxorati*, nec non *diverſis operibus vitæ civilis*, *negotijs*, *armis*, *& magiſtratibus occupati*; *vivebant* itidem *in communi*, *ſed in privatis habitantes domibus*, *nec erat menſæ*, *vel habitationis*, *ſed bonorum tantùm opúmque Communitas.*

Comparet jam, quisquis Veritatis amans eſt, Apoſtolicæ vitæ per hunc textum inſinuatæ *Inſtitutum* cum Canonicorum Regularium *Inſtituto*, & ſpeciem utriusque omnino differentem manu palpabit; vita quippe Apoſtolorum *bonorum* tantùm communitatem habebat, ac conſortium omnium etiam laicorum &c. admittebat, vita autem Canonicorum Regularium etiam in Communitate *habita-*

bitationis, *& mensa* consistit, nec admittit consortium Laicorum, &c. ergo ex hujus textûs deductâ *palmariâ*, ut vocat Adversarius, *Ratione* nil penitus evincitur, quin in ipsum adeò Adversarium validè retorquetur.

Hinc Petrus Venerabilis, qui vixit 1130. *lib. 1. epist. 33. & 34.* Canonicos Regulares meritò vocat *Filios novos.* Et Arnulphus Episcopus Lemovicensis, factus postea Canonicus Regularis epist. ad Alexandrum III. queritur: *Pauca esse hujus Instituti Monasteria*, vocátque *novellam plantationem.*

DISSERTATIO IV.

An Canonici Regulares suam Originem *trahant à S. Augustino?*

SUMMARIA.

1. *Adversarij Opinio.*
2. *S. Augustinus non est* Reformator *Canonicorum Regularium.*
3. *S. Augustini Institutum, si dabatur, non fuit continuatum.*
4. *Canonici Regulares Lateranenses à S. Augustino non descendunt.*
5. *Canonici Regulares sunt Benedictinis in Germania Juniores.*
6. *Prater Canonicos Sæculares, & Regulares, datur etiam tertium genus.*

7. An

7. *An à Canonicis Regularibus deſcendant* per relaxationem *Canonici Sæculares, & Hos Illi præcedant?*

N. I.

Adverſarij Opinio.

INſignis Franciſcanæ familiæ Alumnus, Franciſcus *à S. Auguſtino* piè deſudavit in extollenda Canonicorum Regularium Religione; Cujus Inſtitutionem etiam adſcripſit S. Auguſtino, ex impenſiſsimo (ut ipſe fatetur) in Magnum hunc Eccleſiæ Doctorem amore: Sed Vir Zeloſiſsimus exiguam laboris, pietatiſque ſuæ mercedem retulit; iſtiusmodi quippe amorem improbat Adverſarius noſter, & Auguſtino *Reformatoris*, non *Fundatoris* titulum impertitur.

Et verò ſi faceret id quidem ſtudiô veritatis aliquatenus ſaltem colendæ, laudarem ex hoc capite; quia, ſicut deinde oſtendam, veriſimum eſt, à S. Auguſtino Canonicorum Regularium Ordinem non *fundatum* fuiſſe: Sed quoniam facit id deſideriô ſuum Ordinem ad Apoſtolica uſque tempora extendendi, duplicem committit errorem; primum in eo, quia tantam Auguſtino Gloriam ex ſolo *antiquitatis* indebitæ ambitu detrahit; ſecundum per hoc admittit, quia dum nimium affectat, quaſi totum amittit. Proſpicere haud dubiè poterat, ſe, quò longiùs receſsiſſet, eò

difficiliùs ab actis retrò sæculis ad sua iterum tempora rediturum esse, & tolerabilius exteris Religionibus, ac universo demum Orbi literato credibilius fore, si in Religionis *Fundatorem* statueret Augustinum, cujus nomen & speciem aliquam viciniorem præseferunt Canonici Regulares, quàm si Apostolos sibi totos vindicaret, quos tamen in Christianæ perfectionis ideam cunctis fidelibus Christus proposuit.

At, post exactissimam ab hac in omnibus veterum monumentis versatissimâ ætate adhibitam indaginem, deprehenditur, neutrum Canonicis Regularibus, & Augustinum nec ut *Fundatorem*, nec ut *Reformatorem* attribui cum fundamento posse. Quod utrumque sequentibus numeris dilucidabimus.

N. II.

S. Augustinus non est Reformator *Canonicorum Regularium.*

Reformatoris nomen & officium tria maximè importat: Primò supponit, jam præcessisse, & actu præexistere Institutum talis Religionis. Secundò *Reformatoris* officiô tunc quis fungitur, cùm præsuppositum jam Institutum novis legibus firmat, emendat, instruit, & auget. Tertiò, factæ *Reformationis* leges debent acceptari, observari, & continuari.

Jam

Jam singula puncta discutiamus. Debuit Augustinus præsupponere Institutum Canonicorum Regularium jam aliunde factum ; Debuit illud ipsum novis legibus emendare, instruere, & augere ; Debuit ultimò hujus Instituti à se *reformati* habere, & relinquere sequaces discipulos, atque ab hisipsis illud acceptari, observari, & in hæc usque tempora continuari.

At nihil horum cum veritate, sed ipsum potius è diametro contrarium asseri debere, nos sic ostendimus.

Si Canonicorum Regularium Institutum jam ante tempora Augustini, & aliunde fundatum fuisset, fundâssent illud Apostoli (hos enim pro *Fundatoribus* assignant Adversarij) sed in Apostolos hujus Instituti fundationem perperam refundi, in priori Dissertatione ostensum à nobis fuit : Institutum ergo Canonicorum Regularium ante tempora Augustini fundatum non fuit, atque nullo sic modò ad eadem præsupponi, & ab ipso deinde Augustino *reformari* potuit.

Secundò, si *Reformatoris* officiò functus esset Augustinus, tunc vel novis legibus firmâsset præexistens Institutum, vel idem ad antiquas leges revocâsset : ubi autem, vel quando hoc præstitit Augustinus?

Respondebit Adversarius; quando illam, quæ passim circumfertur, Regulam conscripsit.

Sed, percontor ex Adversario, in quâ

formâ conſcripſit? quibus? & quô intentô?

In forma epiſtolari (ut demonſtrat Mabillonius, & alij) ad ſanctimoniales, & ſororem ſuam, earundem Superioriſſam; pro Religioſæ vitæ viâ certiùs, faciliùs, & tutiùs ineundâ.

Si tradere Regulam, & Viris quidem, ac ex ſcopo Inſtituti, & ut *Reformator* voluiſſet, aliâ ſapientiſsimus Præſul formâ uſurus, ſuámque circa hæc mentem etiam expreſſurus, ac ſolennioribus medijs tanti momenti negotium (quanti erat facienda Apoſtolici Inſtituti *Reformatio*) haud dubiè aggreſſurus fuiſſet, nec inſcripſiſſet Regulam *fœminis*, per quam viros *reformari* cupiebat.

Deindè, ſi Regulam dediſſet Auguſtinus, hujus utique aliqua ſaltem veſtigia, & mentio ad minimum perfunctoria reperiretur in Concilijs circa illa tempora celebratis, aut in Actis ſanctorum, qui eâdem ætate illa floruerunt: ſed nec litera exhiberi poterit, quæ vel obiter de Regula Auguſtini quid innuat: Imò nec in vita S. Fulgentij (quæ inter præcipua Antiquitatis monumenta computatur) nec à Victore de Vite (cujus etiam illuſtris in hac materia Authoritas eſt) quidquam memoratur.

Illud autem me vix non omnino convincit, ut credam, falli Adverſarios; quòd ad inſtantiam Caroli Magni, & Ludovici Pij Concilium Aquiſgranenſe peculiarem ex ſacris

Cano-

Canonibus, Patrúmque sententijs Regulam compilârit, eámque Canonicis Regularibus observandam proposuerit: Hâc enim Imperatorum instantiâ, hôc Concilij labore, & hâc Regulâ recenter compilatâ minimè opus erat, si alia jam ab ipso Augustino composita extitisset pro ipsis Canonicis Regularibus.

Vel denique ipsum Concilium Aquisgranense hujus jam præexistentis Regulæ Augustinianæ (si quæ fuisset) aliquam saltem mentionem injecisset, vel ex eâdem in suæ Regulæ corpus transtulisset aliquid.

Ad Tertium deveniendo, si Regula S. Augustini fuisset *acceptata*, *observata*, *& continuata*, tunc debuisset utique supponi ut præexistens in rerum naturâ, atque extra causas constituta; sed hoc falsò adstrui, proximè ostendimus, ergo non fuit *acceptata* &c.

Sed omissô hôc, depromamus palpabilius argumentum ex ipsius ratione ac signincatione *acceptationis*, *observationis*, & *continuationis*.

Omnia hæc tria (quis negare potest?) denotant actionem, & per actionem ipsam respectum essentialem ad determinatum Ordinem, seu Communitatem hominum, à quibus rei (de qua fit quæstio) facta sit *acceptatio*, *observatio*, & *continuatio*. Oportet igitur, ut Adversarij ostendant Communitatem, & assignent tempus, in quo Communitas illa pro Fundamento ac directione substantiali vitæ suæ expressè habuerit Regulam Divi Augu-

stini; aliàs nunquam dici poterit hæc *acceptata* &c. At, inquirant omni sedulitate, & quantocunque tempore lubet, nunquam invenient ante sæculum undecimum, vel ad summum ante decimum ab ulla Communitate Regulam hanc tanquam *Fundamentum* vitæ Canonicæ propositam fuisse.

Nec dicant Adversarij; ante tempus illud fuisse quasdam Clericorum Communitates.

Transmitto, fuisse aliquas; ergo *Regulam*, de quâ loquimur, *observârunt?* Hic labor, hoc opus est, quod incumbit Adversarijs. Designent mihi vel unicam Communitatem, quæ votum abdicatæ *proprietatis* fecerit, aut tria vota emiserit, ante Congregationem S. Ruffi de Aroise, S. Victoris, & Ivonis Episcopi Carnotensis; nullam producent, etsi maximè vellent.

Jam sic argumentor: Institutum Canonicorum Regularium per Adversarium hac ex causa deducitur ab Apostolis, quia vitam communem cum 3. Votis, ad Religionem quamlibet aliàs requisitis, complectitur, ergo (cùm *Reformatio* non mutet substantiam Instituti) Apostolicæ hujus vitæ Institutum per Augustinum (ex Adversariorum suppositô) reformatum eadem pariter 3. Vota continere debet: At, quòd hæc contineat, ex nullo irrefragabili poterit indicio probari.

Afferent fortè pro indicio & exemplo Com-

Communitatem Clericorum, in Urbe Hipponensi ab ipso Augustino institutam.

Sed per hoc eximiè iterum nostra confirmatur sententia: in Communitate illa non obligabantur Clerici ad Votum saltem Paupertatis; quod manifestè colligimus ex reformatione (ut Adversarij vocant) vitæ communis Canonicorum Regularium, factâ tempore Caroli Magni per Concilium Aquisgranense: nam juxta *Capit. 115.* de Regulâ per dictum Concilium concinnatâ, conceditnr Clericis *Proprietas: quia* (ut Regula loquitur) *in sacris Canonibus illis prohibitum non legitur.* Ergo cùm *Reformatio* Canonicorum Regularium per Aquisgranense Concilium facta non involvat Votum paupertatis, necessariò concluditur, illud ipsum paupertatis Votum etiam non insertum fuisse *Reformationi* factæ per Augustinum: ergo, à primo ad ultimum, S. Augustinus non fuit *Reformator* Instituti Apostolici, utpote, juxta ipsum Adversarium, tria vota complectentis.

In omnem hîc partem se versat Adversarius, ut Vota saltem *simplicia* à Clericis S. Augustini emissa fuisse & observata evincat: in suæ igitur opinionis fulcrum allegat *f. 252.* Regulæ Augustinianæ cap. 1. 3. & 9. ac ipsum etiam D. Augustinum in *sermonibus de communi vitâ Clericorum* pro se ita loquentem inducit: *Ecce*, inquit, *quomodò vivimus; nulli licet in Societate nostrâ aliquid habere proprium, sed si fortè aliqui habent, nulli licet, & qui habuerint, faciunt, quod non licet.*

Hæc etsi omnia lubens admiserim, minimè tamen id evincit Adversarius, quod contendit; præterquam enim, quòd Regula illa non Clericis Communitatis S. Augustini sit scripta, (ut suprà insinuavimus) ex ea certè nullatenus probatur, vi *Voti* etiam *simplicis ijs non licuisse habere proprium*: aliunde enim, vel consuetudine in Societate receptâ, vel privatis Societatis legibus &c. id eis non licuerit.

Ait Adversarius, in *Regula S. Augustini tria vota Obedientiæ, Castitatis, & Expropriationis cap. 1. 3. & 9. ita clarè tradi, ut otiosum sit, ipsos textus afferre.*

Quæ tamen claritas, cùm nulla ratione mihi affulgeat, integrè illa capita (utpote brevissima) Lectoris oculis subycio, & judicio desuper formando. Primum ita sonat: *Primum, propter quod in unum estis congregati, ut unanimes habitetis in domo Domini, & sit vobis anima, & cor unum in DEO.*

Tertium sic: *Et distribuatur unicuique vestrûm à Præposito vestro victus, & tegumentum: non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes: sed potius unicuique, sicut cuique opus fuerit. Sic enim legitis in Actibus Apostolorum; quia erant illis omnia communia, & distribuebatur unicuique, sicut cuique opus erat.*

Capitis noni; formalia sunt ista: *Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus.*

Ex his jam colligas, Amice Lector! num

tria

tria vota ita clarè tradantur in hac Regula, ut otiosum sit, ipsos textus afferre, in quibus nec apex de ullo voto apparet?

Aut planè fateamur, necessè est, omnia, quæcunque in Regula continentur, sub Voti vinculum cadere.

Imò non tantùm non habemus ullum pro votis fundamentum, sed contrarium potius, in ordine ad votum *paupertatis* præsertim, luculenter apparet in facto Honorati Presbyteri, & Clerici Tagastensis, qui (referente etiam Adversario) cùm ad Ecclesiam Thianensem vocaretur, omne suum patrimonium secum tulit; necnon in testamentô, quod Januarius ejusdem Communitatis Presbyter ac Canonicus confecit.

Certè si isti contra votum paupertatis etiam *simplex* peccâssent, tantus Ecclesiæ Doctor eam peccati enormitatem nullatenus tolerâsset, aut in correctione, quam crebrò adhibuit, hujus voti mentionem omnino injeciisset.

At nullius prorsus voti, sed *qualiscunque* demum *paupertatis* solummodò meminit; *sunt* (inquit *serm. 2. de vit. Cler.*) *qui de suâ qualicunque paupertate, quod statuerant, nondum fecerunt.* Contra nullum igitur votum prædicti Clerici peccaverunt, sed *leges* duntaxat & *Jura Societatis*; *quia in hoc casu* (inquit S. Augustinus *Ep. 239.*) *& similibus ea jura servanda esse censeo, quæ talibus habendis vel non habendis secundùm civilem Societatem sunt instituta.*

Quemadmodum itaque Adversarius demonstrare ex his contendit, quòd Clerici S. Augustini emiserint vota quidem, sed non *solennia*, ita pariter evinco, illos nulla, & ne *simplicia* quidem emisisse. Iisdem proinde, quibus is concludit verbis, vota Clericorum S. Augustini non fuisse *solennia*, concludo èt ego, nulla fuisse, & ne quidem *simplicia*: *cùm* enim nec in Regula, *nec in Operibus S. Augustini habeamus ullum Fundamentum, quô votum illud inter ipsius Clericos demonstretur*, &c. *omnino non est nundè asserenda tanta obligatio, quantam præsefert voti* etiam simplicis vis & efficacia: nam *votum simplex* non minùs est efficax in *ratione voti*, quàm *solenne*: ut cum communi docent San-Gallenses *to. 5. de Virtut. Card. tr. 5. sect. 1. q. 2. dub. 3.* votóque religioso est accidentalis, & solùm ab Ecclesia instituta solemnitas juxta omnes, & ipsum etiam Adversarium *f. 250.* ergo non *qualemcunque* ex *voto simplici*, sed *veram, strictámque* nasci paupertatem, necessè omnino est, qualis tamen secundùm D. Augustini sententiam in sua Communitate nulla viguit: ergo *qualemcunque* illam paupertatem non vi ullius etiam *simplicis voti* observârunt, sed tantummodò ob *leges* Societatis *privatas*.

Denique ubi S. Augustinus dixit: nulli licere in sua Societate *proprium* habere; & ab Ea *qualemcunque* paupertatem coli: peraccomodè intelligendus est de *Proprio* seu Dominio, cui *ante rerum Ecclesiasticarum divisionem omnes olim Clerici*, congestis in communem massam & suis, & Fidelium bonis, renuntiarunt:

runt: unde non rigorosa, sed *qualiscunque* paupertas nata est; Ut manifestè colligitur ex ejusdem *Epist. 50. ad Bonif.* ubi sic loquitur: *Si privatim possidemus, quod nobis sufficiat, non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum procurationem quodammodò gerimus, non proprietatem nobis damnabili usurpatione vindicamus.*

N. III.

S. Augustini Institutum, si dabatur, non fuit continuatum &c.

VErùm, ut amplior disputationi locus sit, & veritatis splendor magis eluceſcat, permittamus nonnihil Adversario; assentiamur dicenti, in Ecclesia Hipponensi ejusmodi Clericorum Communitatem fundatam fuisse, an omnis ideo difficultas tollitur? nova planè surgit, quam fortè minùs dissolvet; Probandum continuò erit, quòd Communitas illa per continuam, & nunquam interruptam seriem ad hæc usque tempora descenderit, vel usque ad tempora Congregationum S. Ruffi &c. de quibus suprà, propagata fuerit. At hoc nunquam ostendetur.

Inquiratur, quantum placet (inquit Mabillonius) nuspiam reperietur exemplar, aut testimonium irrefragabile.

Quamvis igitur (ratiocinatur Alvisetus noster *fol. 201.*) dicant se S. Augustini, & S. Augustinum in Patrem elegerint, non tamen sequitur, quòd possint trahere suam originem, aut antiquitatem ab illo, tanquam sint ab eo-

dem *instituti*, aut ab eô *descendant*. Nam in Hungaria & Polonia sunt Monachi, qui se dicunt S. Pauli primi Eremitæ: In Gallijs alij, qui S. Antonij; in Hispanijs, & Italia alij, qui S. Hieronymi &c. Quis autem putet, illos esse institutos à dictis Beatis, aut ab illorum temporibus posse suam Originem derivare, atque inde præcedentiam ab alijs exigere?

Respondent Adversarij apud eund. *loc. cit.* Quia Augustiniani non elegerunt simpliciter S. Augustinum in Patrem, sed Regulam ejus profitentur, atque ideo tanquam ejus Ordinis (& antiquioris) possunt petere præcedentiam.

Sed hoc nihil evincit, *reponit is idem*; quia non licet arguere à genere ad speciem: Nemo enim negat, S. Augustinum esse Antiquiorem S. Benedictô. Sed negatur, eas familias, quæ se dicunt Ordinis S. Augustini, & successu temporis sub ejus Regula sunt fundatæ, posse dici ab illo institutas, aut ab eo suam Originem, & Antiquitatem trahere, ut dicantur Ordine S. Benedicti antiquiores. Nam Philosophi agnoscunt essentias rerum esse æternas, quorum tamen individua vide mus oriri singulis diebus.

Et quamvis Roma v. g. sit antiqua, non tamen sequitur, æquè antiquas esse omnium Romanorum familias.

Est igitur falsa Argumentatio, cum dicitur: S. Augustinus est antiquior S. Benedictô, ergo & Congregatio S. Salvatoris,

vel

vel Rocheti norum v. g.; sed ut hoc asseratur, necesse est, ostendere talium Familiarum originem immediatè esse à S. Augustino, & per rectam lineam, absque interruptione ad hæc tempora propagatam.

Neque alij Ordines, ut illi, suam Originem, suámve Antiquitatem derivant. Nam v. g. Dominicani profitentur etiam Regulam S. Augustini, atque ideo nemo potest negare, quin sint ex illius Ordine, & tamen non derivant suum principium, neque computant suos annos, aut suam antiquitatem à S. Augustino, sed à S. Dominico, qui sub ejus Regula eos instituit. Sic nemo potest negare, quin Camaldulenses, Olivetani, Cistertienses, & alij ejusmodi, servent, & profiteantur Regulam S. Benedicti, & quin sint verè ejus filij, & sui Ordinis, & tamen quando agitur de ipsis, non quærimus eorum Originem apud S. Benedictum, neque eorum Antiquitatem ab illo derivamus, sed à Ss. Romualdo, Roberto, Barnardo &c. qui sub Regula & Ordine S. Benedicti illos instituerunt. Et ita à pari Canonici, seu Clerici Regulares, qui se dicunt S. Augustini, non ab Augustino, sed à suis privatis Fundatoribus debent suam Originem & Antiquitatem derivare, in quo, quia sunt inferiores Benedictinis, irrationabiliter etiam prætendunt eos præcedere. Hactenus Alviserus perquàm eruditè.

Quid ad hæc autem Adversarius? Rem paucis more suo, dum convictus, non habet, quod

quod respondeat, expedit *fol. 80.* contemptim asserendo: *quæ Alvisetus de Monachis Polonis, Hungaris, Dominicanis, Cistertiensibus, & alijs recenset, nihil facere ad rem, nec nisi foliis replendis, ac imperitis fascinandis deservire.*

Si hæc non ad rem; non perspicio, cur ad rem sint, quæcunque in Titulorum suorum pertractatione argumenta profert Adversarius: Debuerat scilicet disparitas exempli ab Adversario ostendi; sed non potuit commoda excogitari, quia similitudinis perfectio acriùs urgebat: hinc quæ seriò diluere nequit, per contemptum eludit.

In speciem quidem responsionis subjungit: Quoad Antiquitatem Ordinis, rem jam transijsse injudicatam, cùm Canonicis Regularibus Lateranensibus, Creüzlingensibus, & alijs fuerit adjudicata præcedentia ob antiquitatem Ordinis, quem immediatè à S. Augustino per continuam traditionem acceperint, æquè ac Benedictini Germani suum Ordinem acceperunt à S. Benedicto.

Multum hîc Adversarius & audacter dicit; & *primò* quidem, *rem transiisse in judicatam.* At, quando? & quo Judice?

Quando Canonicis (reponit) *Regularibus Lateranensibus, Creüzlingensibus, & alijs fuit adjudicata præcedentia ob antiquitatem &c.*

Sed qualem ob Antiquitatem?

Jam tum temporis dubiam, (ut frequenter monuimus) siniſtrâ informatione laboran-

tem

tem; & in tantâ modò Historiæ luce, apertè falsam.

Etverò, quamvìs, Lateranensibus denique sententiam quandam indultam, admittamus, idipsum tamen quoad Creüzlingenses à veritate esse alienissimum, infrà demonstrabimus.

Dicit *Secundò Adversarius: Lateranenses Ordinem suum immediatè à S. Augustino per continuam traditionem accepisse, æquè ac Benedictini Germani suum Ordinem acceperunt à S. Benedicto.*

Hoc si probaverit Adversarius, herbam porrigemus lubentes, & victas dabimus manus. Quàm longè autem hoc à nobis periculum absit, ostendam mox ex Mabillonio.

Liceat mihi prius tamen ad priora ejusmodi formare *subsumptum*: atqui Benedictini suum Ordinem acceperunt à S. BENEDICTO ceu *Fundatore*; ergo & Lateranenses suum acceperunt Ordinem à S. Augustino ceu *Fundatore*; id, quod Adversarius constanter hactenus negavit, quando eorum Originem ad ipsos adeo Apostolos devolvit.

N. IV.

Canonici Lateranenses à S. Augustino non descendunt.

DEmonstrat hoc Eruditissimus P. Mabillonius in primo suo Responso tam clarè, ut nulli suboriri dubium circa id prudens deinceps possit.

quod

Quod ut meliùs intelligas, Nota; Canonicos Lateranenſes perſuaſum habere, inſtitutos fuiſſe ſe in Laterano à Gelaſio Papa hujus nominis primô, S. Auguſtini Diſcipulo, & ab eo tempore uſque in præſens conſervatos; habéntque pro ſe Anaſtaſium. Et hic eſt lapis ille offenſionis, in quem fortè plures hactenus impegerunt.

Eum tamen dexterrimè removit Eruditiſſimus Mabillonius, ex rei Antiquariæ monumentis perspicuè demonſtrando, meram eſſe fabulam, quæ circumferuntur de Gelaſij ex Africa Romam adventu, & de fundatione, quam dicitur feciſſe, Canonicorum Regularium in Laterano.

Cujus ego propria in re tanti momenti admetior verba.

Præter Antiquitatem (inquit) Originariam Canonicorum Regularium, Cardinales (qui cauſam inter *Lateranenſes & Caſinenſes* diſcutiebant) allegabant inſuper illam Canonicorum ipſorum *Lateranenſium*; ſupponentes, quòd fuerint fundati à Gelaſio Papa hujus nominis I. qui cùm natione, ut eis perſuaſum fuit, eſſet *Africanus*, filius Valerij, & Diſcipulus S. Auguſtini, & conſequenter Canonicus Regularis, profectus fuerit in Italiam, & poſtea Romam tempore S. Leonis, aut priùs, & conſtituerit confratres ſuos in Lateranenſi Eccleſia; ubi ſunt commorati uſque ad tempus Bonifacij VIII. ſpatio 800. annorum. Hæc narratio inſerta fuit Breviario Canonicorum

corum Regularium Lateranensium, approbato à Pio V. Pennotus denique addidit *pag. 268.* quòd Valerius, Pater Gelasij, fuerit Prædecessor S. Augustini in Episcopatu Hipponensi.

Cardinales benè advertebant, in hac expositione aliquod, nescio quale, dubium reperiri: Verùm Memorialia Benedictinorum, quæ obtulerant, non satis evidenter remonstrabant fallam suppositionem; quamvis modò deprehendant illi, qui vel parùm in Historijs sunt versati. Gelasius non fuit Africanus, sed *natus Romanus*: multò minùs fuit Filius Valerij Episcopi Hipponensis; nec fuit unquam Discipulus S. Augustini.

Antonius Caracciolus *pag. 320.* has omnes suppositiones agnovit in suis Monumentis Ecclesiæ Neapolitanæ; Earum falsitatem paucis oportet ostendere.

Nemo meliùs scit Patriam Gelasij, quàm Gelasius ipse, qui se dicit *Nativitate Romanum* in quadam Epistola, quam scripsit ad Anastasium Imperatorem (*ep. 4. L'Abbeto. 4. Col. 1182.*) En! ejus verba: *quia glorioſe Fili, te ſicut Romanus natus, Romanum Principem amo, colo, ſuſpicio* &c. Hic locus est tam clarus, ut Commentariô opus non habeat; Dicendúmque est, nullum debere haberi respectum illius authoris vitarum Paparum, qui Gelasium Africanum facit.

Ex quo sequitur, si Pater hujus Papæ Valerius Vocabatur, eum fuisse *Romanum*, ut adver-

advertit Caracciolus ; & nullo modò S. illum Episcopum , qui præcesit S. Augustinum in sede Hipponensi.

Etsi nullum aliud argumentum esset ad refutandum hunc errorem, illud, quod ex ætate Valerij Hipponensis , & Gelasij Papæ desumitur , seipsò id decidit. Nam si Gelasius fuisset Filius hujus Valerij , debuisset nasci ante annum 392. quò tempore Valerius erat Episcopus Hipponensis : adeóque debuisset esse major plùs quàm 100. annis, quando fuit promotus ad Cathedrum S. Petri, quod accidit anno 492. hoc est, 62. annis post mortem S. Augustini.

Quæ est adhuc ratio convincens , Gelasium non fuisse Discipulum hujus S. Doctoris: aliàs oporteret supponere quòd ex Africa venisset , quod non est verum , ut ostensum fuit.

Si quis desiderat perfectam ideam illam, quam Gelasius ante suum Pontificatum exhibuit; legat solummodò illud , quod scripsit Dionysius Pancus in Epistolâ, quæ habetur in principio Decretalium Pontificiarum , directâ ad Julianum Presbyterum tituli S. Anastasij , qui Gelasium vidit: ubi inter alia reperietur , quòd multum delectetur conversatione *servorum Dei*, hoc est, *Monachorum* , ut illo tempore ordinariè appellari solebant : *servorúmque Dei , maximè consortio , atque societate gaudebat*: Nullum autem Verbum ibi habetur , ex quo posset concipi idea Canonicorum Regularium,

nec

nec quòd fuerit Africanus, aut Discipulus S. Augustini. Usque huc Mabillonius.

Sed quid ad tanti evidentiam discursûs Adversarij?

Ex illis Nonnullus in *Horto suo Hierarchico* &c. putat, rem in expedito fore, si verba illa, quibus se *natum Romanum* Gelasius profitetur, in eundem detorqueat sensum, quô Apostolus *Civem Romanum* semet appellavit, quamvìs ortu *Tharsensis* fuerit.

At, quàm violenta hæc sit, quàm torta interpretatio, nemo non videt.

Ut *civis Romanus* quis dicatur, sufficit, modò gaudeat Jure Civitatis illius; quod plurimis socijs Urbibus commune fuisse, nemo ignorat, qui Romanam Historiam vel semel perlustravit.

E diverso Nativitas locum *appellat* partûs: ut igitur *Natus Romanus* dici quis possit, *Romæ* debuit, & non alibi fuisse genitus: Nec unquam Adversarij convincent duo ista: *Esse Civem Romanum*, &, *esse natum Romanum*, pro synonymis haberi.

Ut porrò omnis æquivocationis tolleretur occasio, in Conciliorum margine solerter adnotata hæc leguntur Verba: *Romæ natus.*

Nec prætereundum existimo, in recentioribus Juris Canonici editionibus loco Gelasij, qui à Gratiano *in Cap. Osius. dist. 56.* nominatus erat, poni Felicem III. per sequentia formalia: *Felix enim III. natione Afer, ex Patre*

tre Episcopo Valerio natus est: quod rem adhuc intricatiorem reddit.

Denique, ut ostendamus, inter ipsos etiam Canonicos Regulares non tam unanimem & constantem fuisse omnium in hac re opinionem:

Audiamns Nebridium à Mindelheim Canonicum Regularem ex Austria *Epist. 142.* in *Antiquario Monastico*: ubi postquam hanc de Gelasio opinionem retulit; *sed hæc ipsa res* (inquit) *incerta est. Mirum enim, si tam diu fuit, in Concilijs nusquam ejus fieri mentionem, sicut Regulæ S. Benedicti, cùm non rarò fuisset occasio?* &c.

Quid sincerius hôcce Viri Religiosissimi suffragiô? summi planè illud momenti esse meritò reor; quia nunquam protulisset idipsum Domesticus, nisi rationum pondere, & manifestâ veritatis luce adactus.

N. V.

Canonici Regulares sunt Benedictinis in Germania juniores.

ASsertum istud, non eâ mente ponimus, quasi à prudenti Viro in dubium Vocari posset, aut plurium conquisitione Argumentorum indigeret; sed ut innuamus per illud Adversarijs aliquid, quod unicâ sui memoriâ immoderatam honoris indebiti cupiditatem,

piditatem, studiúmque abstergat.

Germaniæ Evangelij lucem intulit Glorioſiſsimus BONIFACIUS noſter, & per ſe, Suóſque barbaram priùs Teutonum indolem, & incultam Chriſtianis moribus, Musíſque manſuetioribus non minùs, quàm ſeverioribus imbuit. Alemanniam igitur Chriſto in ſpiritu, & per Gratiam genuêre *Benedictini*, atque his omnes debemus *admirabile lumen*, ad quod de tenebris translati ſumus.

At, quod reverentiæ ſervitium exigit à Filijs Pater? quale honoris obſequium à Juniore Senior expectat? Vel ſolo hujus meriti titulô, quem nullæ non Gentes ſacro-ſanctum habent, oportuiſſet Adverſarium cum Noſtris modeſtiùs, ac ſubmiſsiùs agere, nec in ipſa etiam Germania præcellentiæ jus Benedictinis ſurripere, ſed potius perſuadere Suis, ut & Filiorum debitam pietatem, & Juniorum ingenuam obſervent Verecundiam, nec ambiant ipſis præponi, quorum Majoribus referre in acceptis tenentur, quòd genuini ſint homines, Chriſtiani ſcilicet, & literati.

Ego ex mea parte lubentiſsimus Veneror plurium, quam Canonici Regulares in Germania habent, Monaſteriorum Antiquitatem valde ſpectabilem, ſed in id annuere nequaquam valeo, nonnulla (ut Adverſarius contendit) reperiri, quæ jam ante decimum â partu Chriſti ſæculum floruerint. Eſto enim, quòd tunc illæ cum ædificijs ſuis Eccleſiæ jam extiterint, non tamen incolebantur à Cano-

nicis, *Divi Augustini Regulæ adstrictis*, eandémque vitæ normam professis, quam moderni proficentur.

Hinc Benedictinus ille Vindex nullatenus *insultavit ceu imperitus Historicus Canonicis Regularibus*, ut Adversarius *fol. 71.* exprobrat, quando petijt, *ut Canonici Regulares producant authenticas Fundationes Monasteriorum ante annum Millesimum in his partibus* (Bavariæ, ubi scripsit ille) *Canonicis Regularibus, Ordini & Regulæ S. Augustini obstrictis factas, sicut nos Benedictini ante ea tempora plura producere possumus.*

Quamvis enim Adversarius *fol. 71.* octo Historicos proferat, è quibus contrarium evinci putat; Authores tamen illi non ejus semper sunt elatsis & fidei, ut authenticæ fundationis probationem subministrent. Solus quippe Bruschius (tacendo exteros) circa unius Monasterij Oxenhusani relatam fundationem duorum valde palpabilium errorum convictus fuit à Doctiss. P. Romano Hay ejusdem Monasterij Professo per documenta ipsius Archivij Oxenhusani.

Credo proin, non absque peculiari causâ dictum Vindicem nostrum petijsse: *in Partibus his*, id est, Bavariæ; unde scilicet ex vicinia authenticæ ex Archivijs fundationes facilè comparari potuissent.

Denique addidit studiosè Vindex, *Canonicis Regularibus Ordini & Regulæ S. Augustini obstrictis*; cùm eô tempore, quo pleraque

que Monasteria Canonicorum Regularium in illis Bavariæ partibus, qualia sunt Reichenspergense, Diessense &c. non Regulæ *S Augustini*, sed *Concilij Aquisgranensis*, quam Conradus Archi-Episcopus sibi à Ludovico Pio submissam proposuit, obstricti fuerint: ùt numero sequenti magìs patescet.

Ne verò *salutem ex inimicis suis* (P. Bernardo Hertfelder Monacho & Priore ad Ss. Udal. & Afram, ac Carolo Stengelio) sibi adgratuletur (*fol. 72.*) Aio: non absolutè Priorem illum asseruisse, quòd Canonici Regulares eâ tempestate locum illum (Monasterij S. Udalrici Augustæ) incoluerint, sed solùm ex conjecturâ; & illo forsan etiam errore, quô persuasum habuit, omnes Canonicos in communi viventes, continuò *Regulares* fuisse; quod non subsistere, infrà demonstrabimus. Dubium verò se in illa re extitisse, clarè demonstrat, dum ait: *quando*, & *à quo tempore id factum*, *Annales nostri expressè non produnt.* Denique, quamvìs asserat, fuisse Canonicos Regulares, non addit tamen, fuisse *Regulæ obstrictos S. Augustini*; de quibus est nobis sermo.

Et licèt Stengelius Proprium Augustanum ab erroribus purgâsse dicatur, credere tamen omnia nemo tenetur ùt *Canonizata*; sicut in eodem ferè genere eruditè respondet P. Papebrochius circa Officia, à sacra etiam Congregatione approbata. *Dum sacra* inquit, *Rituum Congregatio approbat aliquod Officium,*

ut recitandum, certum nobis & prorsus infallibile est, omnes eos, quibus hoc officium à Sacra Congregatione recitandum, ab omni errore juris remotos esse, sive, licitè illud, & sinè culpæ periculô recitaturos; imo ad illud teneri, si eos sacra Congregatio obstrinxerit. Non autem certum nobis est, & infallibile, omnes eos, qui ad Officium recitandum præceptô obligantur, hòc ipsò obstringi ad certò & infallibiliter credendum, quidquid in isto Officio continetur. Hæc Papebrochius.

N. VI.

Præter Canonicos Sæculares, & Regulares, datur etiam tertium Canonicorum Genus.

ECquod, inquis, est illud? Eorum nempe, qui nec separatim soli, nec conjunctim cum Votis religiosis, sed *absque his in communi vivunt.*

Collegit id Caramuel ex Beyerlinkio, qui apud Adversarium *fol. 229.* v. *Canonicus* ita loquitur: *Quidam eorum* (Canonicorum) *non contenti, Apostolicam vivendi normam sequi, tria insuper vota Monachorum ritu facere, ac exinde Canonici Regulares dici ceperunt &c.* Ergo, inquit Caramuel *n. 151.* & alibi sæpiùs, Canonici Regulares (qui tria vota emiserunt) sunt posteriores Monachis, utpote Mona-

Monachorum imitatores. Imo ex eâdem hâc authoritate Caramuel sequentes Ectheses elicit: 1. *Clericos communis vitæ vixisse sinè votis.* 2. *Monachos esse Canonicorum Regularium Patres.* 3. *Tria fuisse Canonicorum Genera, videlicet Sæcularium, Regularium, & in communi Viventium.* 4. *In Consilijs Evangelicis fuisse devotionis heredes Canonicos, voti Monachos.*

Fatetur Adversarius ibidem, *speciosa hæc fore ædificia, nisi carerent luce, ac fundamento.* Firmamentum tamen firmum satis, & lucem æquè copiosam accedere, credo, ex ipsius Authoritate Beyerlinkij, quô Canonicorum Institutionem rectiùs nemo descripserit, nisi Canonicus Beyerlinkius, ut rectè advertit Caramuel.

Et quamvis Adversarius Canonico Canonicum, Augustinum Barbosam, opponat, ac Beyerlinkij mentem quadruplici responsô eludere conetur, manet tamen tanto Viro sua semper authoritas, ejusque verbis illibata claritas, & fides inconcussa, etsi ab Adversario non nisi *Lexicographi* nomine afficiatur.

Dilucidatur nostrum præterea *Assertum* ex illustrissimis, quæ ob oculos habemus, nobilium Virginum Cœnobijs, Buchovienſi, Lindavienſi, Seggingenſi &c. quorum illustres Canonissæ *in communi* omnes *vivunt*, at nullis, aut non omnibus saltem Regularium votis adstrictæ.

Confirmari hæc possent ex Instituto novissimo RR. DD. Clericorum *in communi vi-*

ventium, quos vulgò Bartholomeitas vocamus. Denique multos ejuſmodi Canonicos Regulares, non qui Regulam S. Auguſtini ſervent, ſed duntaxat ſecundùm Inſtituta Ss. PP. (ut olim) vivant, *res proprias* habentes, reperiri etiamnum hodie in Gallia teſtatur Clemens Reynerus in tractatu de Apoſtolatu Benedictino in Anglia. Imo fuiſſe quoſdam Canonicos Regulares in diverſis locis profeſſos ſecundùm Regulam S. Auguſtini, quam tamen non habebant, colligitur ex Chronico Canonicorum Regularium Reicherſpergenſium in Bavaria ſub *Anno* 1169. quod allegat Mabillonius in *primo reſponſo*: ubi fit mentio, Prioris Gerohi, Zeloſiſſimi Reformatoris hujus loci; & de illo leguntur ſequentia: *Nec enim ſatiabatur illis diebus dulcedine illa mirabili, quam inveniebat legendo in Excerpto de dictis ſanctorum de vita Canonica, quô & eatenus pro Regulâ uſi fuerunt Fratres ſui. Exquirebat omni animadverſione, quomodo ſibi vivendum eſſet ſecundùm Regulam S. P. noſtri Auguſtini; vel quæ eſſet illa Regula, ſecundùm quam vivere profeſſus fuerat. . . . . Quæ Regula tamen tunc in illis locis non inveniebatur, ſed nec in alijs locis ejuſdem profeſſionis. Pro qua re neceſſarium duxit, Romanum adire Pontificem cum quibuſdam fratribus de Clauſtro: quatenus Regulam, quam unacum omnibus communiter fuerat profeſſus, Clauſtro illi, cui erat obligatus, ſtabiliret. Quod & factum eſt.* Hæc ibi.

Dubitari non debet (ſubdit his Mabillonius)

Ionius) quin istud *Excerptum de dictis Sanctorum de vitâ Canonicâ*, quod his Abbatijs tunc pro regula serviebat, fuerit illa Concilij Aquisgranensis, fuerítque illa pro Regula S. Augustini habita, eò quòd præscriberet vitam communem, quam S. Augustinus Hippone instituit. Legimus (pergit is idem) apud Raderum in Bavaria S. quod hæc compilatio Concilij Aquisgranensis per Ludovicum Pium fuerit missa ad Arnonem Archiepiscopum Salisburgensem, ut habeatur pro Regula ad introducendam vitam communem in novis Abbatijs, quæ fundabantur in Bavaria circa finem Sæculi XI. & principium XII.

Ex his unà colligat Adversarius, etsi unius fortè aut alterius Monasterij Canonicorum Regularium fundationem ante sæculum XI. allegârit, ea tamen minimè fuisse obstricta Regulæ S. Augustini, quæ hodie observatur: ut paulò antè notavi.

N. VII.

An à Canonicis Regularibus descendant per relaxationem Canonici Sæculares, & Hos Illi præcedant?

ADversarius eò demum fiduciæ delabitur, ut pronuntiare ausit (*fol. 242.*) *Canonicos Regulares esse Sæcularibus antiquiores*,

res, ùt qui Ordinis ac Clericatûs ſui Regularis habuerint Inſtitutores ac obſervatores ipſos ſanctos Apoſtolos; ut adeo Clerici ſæculares ſint à Regularibus orti per relaxationem, non verò hi ab illis per reformationem.

An igitur tam turpi horreſcit maculâ pulcherrima & nobiliſsima Eccleſiæ Portio? (Clerus videl. ſæcularis) an licentiæ & *relaxationis* torpore obſeſsi ſint omni hactenus tempore Epiſcopi? cum Epiſcopis Archi-epiſcopi? cum Archi-epiſcopis Cardinales? et &c. (erubeſco inferre) An Divina ſuſtinuerit Providentia eos potiſsimùm in terris gerere Chriſti vicem, qui à primævâ Apoſtolicæ vitæ per Chriſtum traditæ normâ degenerès, ſolutis originarij Inſtituti legibus, in *laxioris* vitæ rationem deflexiſſent?

Hoc prorſus non capio, nec perſuadere mihimet poſſum, quòd ille hominum Status, qui à primæva Inſtitutione, & ſanctæ vocationis legibus degeneravit, nihilominus & floreat præ cæteris, & imperet reliquis, & in Eccleſiæ Hierarchia ſupremum excellentiæ gradum conſtituat.

Alteram tituli partem, (præcedentiam videlicet Canonicorum Regularium ante Canonicos Sæculares) ſpectando, Adverſarius *fol. 83.* ex Bulla Pij V. hæc tria colligit: 1. eſt, Canonicis ſæcularibus S. Auguſtini jure deberi præcedentiam ante quaſvis perſonas eccleſiaſticas tam ſæculares, quàm Regulares &c. II. De facto decreviſſe quidem ſummum Pontificem,

ut

ut Canonici Regulares in publicis processionibus cederent, idque præcisè ex hac ratione, ne Canonici ab Episcopo, tanquam membra à Capite, per interpositos Canonicos Regulares separarentur; unde non ex Jure, sed duntaxat ob congruentiam illam Canonicis sæcularibus Præcedentiam permitti. III. Quando Canonicus sæcularis in privato congressu, vel plures Canonici sæculares absque suo Capite, scilicet Episcopo, Archi-episcopo &c. cum Canonicis Regularibus conveniunt, tunc Canonicos Regulares præcedere Sæculares. Hactenus ille.

Ad quæ ego, ne falcem in alienam videar mittere messem, nil respondeo, sed, attonitâ tantisper mente operior occasionem illam & Actum, quô Canonici Regulares in privatis Congressibus suam ante Canonicos Sæculares exigent præcedentiam. Tum enimverò apparebit, quid factô ipsô Canonici Sæculares responsuri sint.

DISSERTATIO V.

De Antiquitate Nominis, & Habitûs *Canonicorum Regularium.*

SUMMARIA.

1. Antiquitas *Canonicorum Regularium ex eorundem* Nomine *mensuratur.*

2. An-

2. Antiquitas *Canonicorum Regularium ex eorum denique* Habitu *concluditur.*
3. *Adverſarij ſcomma de* Habitu Monachorum *rejicitur.*

N. I.

Antiquitas *Canonicorum Regularium ex eorundem* Nomine *menſuratur.*

NObiliorum Stemmatum *Antiquitatem* ex annexi *Nominis*, & Inſignium, quibus innoteſcit, ætate dimetiri homines ſolent; nec immeritò: *Nominis* quippe per Heroica Geſta illuſtrati ſplendor parere nobilitatis debuit famam, & opinionem, cujus ad Poſteros tranſmiſſæ beneficiô nobiliſsimum ejuſmodi Stemma inclareſceret; unde tota quoque ipſius Arboris gentilitiæ ſtructura, in ſingulis conſuevit ramis eodem ſemper *Nomine* inſigniri, ac unica probandæ nobilitatis ratio ex *Nominis* à Majoribus accepti *Antiquitate* ſolet ubique gentium æſtimari.

Cùm itaque quælibet Religio illuſtris cujuſdam Stemmatis ſpeciem, rationémque præferat, & *anonymi* Ordinis nulla apud poſteros ſit fama vel pretium, convenientiſsimum abſque dubio erit, ſi dimetiamur ex ipſo *Nomine* Canonicorum Regularium *Antiquitatem* eorundem, quam hactenus pertractavimus.

Et verò, cùm propria confeſsio ſit ſpecies

cies nobiliſsimæ probationis, auſcultemus, quid hac in re ipſe ſentiat Adverſarius? Ingenuè omnino fatetur *f.* 241. *Nomen Canonici Regularis in primitiva Eccleſia non fuiſſe in uſu.*

Et alius quidam apud Mabillonium lubens concedit: *Nomen Canonici Regularis ante decimum ſæculum fuiſſe incognitum.*

Quod admodùm *videtur mirum* Mabillonio, *ſi jam fuiſſent Canonici Regulares ipſis temporibus Chriſti & Apoſtolorum, & interea tamen per novem integra ſæcula nulla de ipſis mentio facta fuiſſet. Vix*, ait, *inveniri poterit cauſa tam extraordinarij ſilentij.*

At, *non refert*, inquit Adverſarius, *quia ſi de re conſtet, de nomine non eſt diſceptandum; aliàs enim ſequeretur, in primitiva Eccleſia non fuiſſe realiter Chriſtianos, cùm nomen Chriſtianorum ante Concilium Antiochenum non fuerit in uſu, ut habetur cauſa 24. q. 1. cap. Rogamus. Item ſequeretur, monachos à Divo Benedicto inſtitutos, uſque ad tempora S. Gregorij Magni non fuiſſe Benedictinos, cùm nullum tunc temporis fuerit, vel oſtendi poßit hujus nominis veſtigium.*

Verùm, ſi aliunde tam certum foret, Canonicos Regulares *realiter* extitiſſe in Primitiva Eccleſia, ac certum eſt, in eâdem extitiſſe *Chriſtianos*, & *Benedictinos* tempore S. Benedicti, de *Nomine* utique ex ſuperfluo diſputaretur.

At inſpexiſſet ille vel obiter Apoſtolo-

rum

rum Acta, c. 11. v. 26. & c. 26. v. 28. vel primam Petri Epistolam c. 4. v. 16. aspexisset nomen *Christiani* expressissimè poni.

Ad obtinendam igitur paritatem, oporteret Canonicorum Regularium *nomen* quoque alicubi sic expressum legi in Apostolorum Actis, quæ pro fundamento Ipsi ac *Regula* sua statuunt.

N. 11.

Antiquitas *Canonicorum Regularium ex eorum denique* Habitu *concluditur.*

QUemadmodum Nobiles olim notabantur per *lunulas*, quas in calceis gestabant; sic Religiosus ex *habitu* dignoscitur, ad quam ille speciem, classémque pertineat: exhibeant igitur Canonici Regulares, ex Apostolis vel unum, quem *Superpellicea*, *Cappa*, *Mozetta*, *& Bireto quadrato* (quorum scilicet antiquitatem opponunt *Lanæ*, & cucullo Monachorum) indutum, tectúmque fuisse sciant. Nobis saltem demonstratu facillimum est, *quod nec Mozetta, nec quadratum* sint tam antiqua, quàm Cucullus, & nostrum Caputium.

Quod attinet *Rochetum*, in quo substantialem vestitûs sui gloriam ipsi constituunt, nec illud persuasam ijs habet *antiquitatem*: audiamus enim *Alvisetum*, qui *fol. 204.* ait; *non sibi adeò*

adeò bene constare Augustinianos in suis propositionibus, & fundamentis, cùm dicunt, se Ordinis S. Augustini, & se portare ejus habitum; nam ex ipso Iure discimus, pergit ille, *Rochetum fuisse attributum Episcopis ab Innocentio III. ut videre est in Cap. Clerici Officia, de vit. & honest. Cler. Quô cùm Sanctus longè sit antiquior, quomodo potest dici usus Rocheto, aut illum suo Ordini tradidisse?*

Ad quæ in suo Commentario Adversarius altùm silet, & hinc denuo in memoriam revocanda censui.

N. III.

Adversarij scomma de Habitu *Monachorum reycitur.*

ADversarij qualis sit animus in Monachismum, si non aliunde, ex illo saltem capite quivis deprehenderet, quòd *Habitum* denique, & *Cucullum* etiam indignis proscindere modis sustinuit. Nec est, cur obyciat exemplum Alviseti: unicam hic Historiolam protulit, quæ nullius tamen viri gravis sententiâ, sed simplicis tantùm rusticelli incautô dicteriô nitebatur: & vel hunc retuliſſe, ex ipsius etiam Adversarij confessione, displicuit Nostris.

At horum nulla est ratio, curáque Adversario, sed, ut solenniùs vituperet, inducit *Cap. Mandamus* 10. q. 3.

Prot

Prohibet ibi Pontifex Canonicis Regularibus transitum ad Monachos, & jubet, ut transgressor ad suos reductus, ultimô locô in Choro stet, & memorialem Cappam in manibus portet.

Sed, qua de causa? sub quâ limitatione?

Ne causâ *levitatis*, inquit *capitulum*, & temeritatis, ac non petitâ licentiâ id faciant; ne scilicet Canonici Regulares tam liberè, frequenter & copiosè solô *levitatis*, *inconstantiæ*, *temeritatis*, & *mutabilitatis vagabundæ spiritu* agitati, & proprij arbitrij usi libidine, nec ullam impetrandæ à superioribus licentiæ rationem habentes ad Monachos transmearent, remedium quæri debuit; nec inveniri aliud efficacius potuit, quàm si traheretur in pœnæ speciem illud ipsum, quod præposterè ac in propriæ Religionis, salutisque præjudicium, contemptum, damnúmque incauti ejusmodi transfugæ ambiverant: respexerit omnino sapientissimus Pontifex ad ipsius Divini Methodum Judicij, quo juxta Spiritûs sancti Oraculum, *per quæ quis peccat, punietur.*

Hunc præterea omnis passim Religio observat, ut ea ipsa, circa quæ deliquit Religiosus, in publico deinde Refectorio, vel Templo appensa collô, aut manibus gestare à Superiore jubeatur. Sic etiam inter opera pœnitentiæ scelestissimis peccatoribus injungi consuevit bajulatio *Crucis*; an ideo venerabile Salutis humanæ Trophæum vilescit?

Mitto

Mitto innumera, quæ possent in hanc rem afferri exempla, cùm quilibet prudens obvia habeat, & facillimè advertat, ex istiusmodi argumento plus gloriæ nobis, ac præjudicij Adversarijs accrescere, & Crucis contemptæ ignominiam pro illustrioris exinde triumphi pompâ deservijsse. Hinc ablego Adversariùm ad Decretum Bonifacij IV. Cujus pars aliqua capitulo *sunt nonnulli* inserta legitur: ex hoc discere poterit ille *Monastici Habitûs* præcellentiam, & quàm sublimis Mysterij sacramentum in eodem figuretur.

Cherubini (ait Pontifex) sex alis velati speciem refert suo Monachus Habitu; duo scilicet in Caputio, geminæ in brachiorum manicis, & totidem in binis, quæ Corpus contegunt, partibus alæ signantur.

Cherubicum ergo decorem exprimit, gerítque sui apparatu Cuculli Monachus, ac per id quidem, credo, multiplicis excellentiæ, quâ splendet Monachismus, Arcanum haud obscurè nobis insinuari; quantascunque enim dotes, ac prærogativas obtinent Cherubini, aut quæ gloriosè gesta ab Ijs in utriusque Fœderis Pagina perhibentur, ea omnia per similitudinem admodùm vetustam attribui Monachis possunt: Cherubinus Paradysi limen obsidens, flammeum rotat *ensem*; & per hunc nunquid aptissimè *sacer Principatus* designatur? Cherubini duo suis tegebant alis *Arcam fœderis* Domini, in quâ *Manna* servabatur; & per ista nunquid Divinissimi ad Aram Sacrificij

ſpecies, ſublimíſque *Clericatûs* Dignitas repræſentatur? DEI *Scientia* ſpecialiſsimi luminis infuſione habitat in Cherubinis, ab iſtis verò inferiores exinde Angelorum Chori *illuminantur*; & per eadem nunquid pulcherrimè *Scientia*, & *Actio* delineantur? Ex ipſo igitur *Habitu* convincitur Hierarchici Ordinis noſtri Ratio; quam uſque huc pro ingenij noſtri modulo aſſerere allaboravimus.

PARS

PARS VI.

DE

Ijs, quæ ex hactenus dictis consectanea sunt.

DISSERTATIO UNICA.

An Canonici Regulares præcedant quoscunque *Monachos?*

SUMMARIA.

1. *Adversarij Sententia, & Rationes.*
2. *Refutantur.*
3. *Statuitur nostra sententia, & Benedictinis Præcedentiæ Jus asseritur titulô* Possessionis &c.
4. *Titulô* Antiquitatis.
5. *Ex Nomine* Abbatis.
6. *Academiæ quoque, & Doctores suffragantur.*
7. *Adversarij malè allegata* Praxis *refellitur, & Benedictinorum* Possessio *demonstratur.*
8. *Adversarij circa* Possessionem *objecta diluuntur.*

N. I.

Adversarij Sententia, & Rationes.

VLtima tandem, & in omnibus usque huc pertractatis fundata quæstio nobis occurrit discutienda; & concludendum superest: *An Canonici Regulares* quoscunque *Monachos, vel Hi potius Illos jure præcedant?*

Adversarius *f. 74.* ubi paucis insinuavit, *quanti momenti res & causa sit præcedentia; peccare*, ait (ut superiùs jam notavi) *Prælatum, & Communitatem, qui sibi patiuntur ab alijs injustè eripi præcedentiam, & honorem debitum &c.*

Ad quæstionem exinde veniendo, refert, *jam olim inter duos antiquissimos Canonicorum Regularium S. Augustini, & Monachorum S. Benedicti Ordines iteratam extitisse controversiam, cuinam competat Jus præcedendi? sempérque, & coram omnibus Tribunalibus palmam retulisse Canonicos Regulares ob gemina potissimùm argumenta, videlicet prioritatis Institutionis, & Clericatûs.*

Eapropter denique concludit: *Canonicos Regulares S. Augustini non tantùm Congregationis Lateranensis, sed etiam Germanos, Hispanos, Belgas, & alios totius Mundi ratione Ordinis & Clericatûs præcedere quoscunque Monachos, Casinenses, Germanos, Hispanos &c.*

Ab

Ab hac tamen prærogativa (quod probè animadvertas) excluſos vult *f. 60. Canonicos Regulares Præmonſtratenſes, Canonicos Regulares Scopetinos, ſeu Sancti Salvatoris de Bononia, vel de ſylva Lacûs; Canonicos Regulares Gilbertinos, Canonicos Regulares S. Georgij de Alegâ, & alios &c.* quos, cum Pennoto ait, *differre habitu, vel alio prædicato eſſentiali, & conſequenter ſpecie à Canonicis Regularibus S. Auguſtini &c.*

Ubi verò argumenta quoad Lateranenſes (ideireo quòd, ex ipſius quidem mente, in rem judicatam eorum cauſa abierit) præterijt, de alijs Canonicis Regularibus S. Auguſtini totum præcedentiæ Jus demonſtrare ſe hoc putat ſyllogiſmô: *Canonici Regulares S. Auguſtini Congregationis Lateranenſis ratione ſolius Antiquitatis, & eſſentialis Clericatûs ex definitivâ ſummi Pontificis ſententiâ præcedunt Monachos Benedictinos, utpote accidentaliter tantùm Clericos, & Ordine Juniores: atqui Canonici Regulares Germaniæ, Hiſpaniæ &c. ſunt ejuſdem ſpecie Ordinis, ac Clericatûs cum Lateranenſibus, ergo etiam Canonici Regulares Germaniæ &c. præcedunt quoſcunque Monachos ob paritatem rationis.*

Syllogiſmi hujus ſingulas propoſitiones pluribus deinde proſequitur; ſed quia eversô ſemel fundamentô *Majoris*, ſpontè corruunt cætera, eadem ùt inutilia adducere ſupersedeo.

Paulò inferiùs deinde: *Vel breviore* (inquit)

viâ: Crucelingensibus ob Antiquitatem Ordinis (ut patet ex Diplomate) adjudicata est præcedentia; atqui Canonici Regulares S. Augustini sunt ejusdem speciei (rideretur enim à doctis & indoctis, qui diceret Canonicos Regulares Wettenhusanos, Waldseenses, Wengenses, & alia Crucelingensibus vicina Canonicorum Collegia esse diversi Ordinis (ergo &c.)

Confirmat denique sic: *Sacra Congregatio Cardinalium Anno 1593. die 30. Aug. declaravit, ut ratione præcedentiæ ubivis terrarum observetur, quod Romæ est in usu, ut in refert Alviset n. 3. sed Romæ præcedunt Lateranenses, ergo in toto mundo præcedere debent.* Hactenus ille.

N. II.

Refutantur Argumenta hactenus allata.

Istæ (ùt ab Adversario nuncupantur) demonstrationes plus apparentiæ, quàm soliditatis habent: cùm ipsô *Antiquitatis*, quô nituntur, fundamentô destituantur; & *Clericatus* ijs, quos Adversarius impugnat, *per se* æquè, ac Canonicis Regularibus competat.

Respondeo igitur ad primum syllogismum ex suprà dictis, distinguendo Majorem: Et ista sententia (si tamen strictè talis fuit) definitiva lata fuit, cùm accurata, exacta, & plena utriusque suppositi tam *Antiquitatis*, quàm *Cleri-*

Clericatûs cognitio nondum haberetur, & consequenter utriusque puncti disquisitio non esset omni ex parte fundamentalis; Concedo: secus; Nego.

Quoniam enim in quæstione *facti* fides erat penes referentium, & inter se controvertentium personas, ac peritiam: res verò historica tum temporis multiplici adhuc caligine involvebatur, & plurimis, quos in alijs etiam materijs passim irrepsisse erudita Posteritas deprehendit, errorum offendiculis esset obnoxia: mirum non est, ex *erronea informatione*, quam pro *fundamento* & Regula Judices habent, ejusmodi sententiam emanâsse. Hodie verò, cùm tantam Historiæ lucem acceperint per multiplicem solertiam, dexteritatémque hominum eruditorum, *existimata antiquitas* sustineri non potest.

Quin (juxta Mabillonium) *credibile magìs est, quòd, si negotium Canonicorum Regularium Lateranensium hodie deberet decidi, relinquerentur Benedictini in sua possessione.*

Lateranenses potissimùm tunc temporis prævaluerunt ex eo, quòd probâsse viderentur suam *Antiquitatem*, & descendentiam per Gelasium I. à S. Augustino; in quo tamen manifestè errâsse illos, jam suprà ostendimus.

Id ut luculentiùs adhuc intelligas, observa circa hoc cum citato Mabillonio: quòd Cardinalis Cicada (qui inter delegatos hujus causæ Judices fuerat) invenerit antiquitatem hanc *dubiam*: Pius autem V. per aliam Bul-

lam prioris à Pio IV. datæ defectus suppleverit, qui non timebantur modò, sed palpabiliter satis notabantur. Igitur Bulla illa Lateranensium plus ex *privilegiô*, & finiendæ litis ergò, quàm ex causæ meritis, & *Antiquitatis* &c. legitimô modô *probatæ*, titulô emanavit: quod enim *ex rei naturâ, seu debitô, vel jure* ipso subsistit, nullô indiget privilegiô, aut Bullâ; nec ullis obnoxium est *defectibus*, qui *suppleri* posthac debeant.

Unde non *lepidè respondebat* (ùt Adversarius exprobrat) *nec in meridie cacutiebat Caramuel*, quando ita distinxit *majorem*: Lateranensibus adjudicata est præcedentia ex *privilegiô*, Con: ex *natura rei*, seu *debito*, *vel Jure*, neg: Quod enim, ùt dixi, ex *naturæ rei* debetur, debetur nullatenus ex Bullâ, *defectuum suppletivâ*.

Replicat Adversarius: Cui tribuitur præcedentia ob rationem *Antiquitatis*, & *majoris dignitatis*, illi non tribuitur ex *gratia*, sed ex *Iure*; cùm nulli magis debeatur honor, quàm qui est dignior & senior; atqui &c.

Respondeo: si antiquitas & dignitas illa sit *vera*, & non *existimata* duntaxat, concedo; secus, nego. Ubi Judices ipsi hæsitârunt, nec rei Historicæ debita suberat evolutio, latæque sententiæ Bulla alterius Authoritate fulciri debuit, quis credat, *veram* interveniſle *vetustatem*, legitimúmque probationis, examinis, & judicij rigorem?

Jam quod *Clericatûs* allegati titulum attine-

tinebat, debuerant Casinenses eundem vindicare sibi, ùt jure, ac *per se* competentem, tanquam non simplicibus Monachis, sed Monachis *Benedictinis*, *in Clericatu natis*, & ad eundem in *virtute ac vi Regulæ* destinatis; quod in prima parte efficaciter, luculenter, & ad ipsum adeò oculum demonstravimus, ut, si res in judicium hodie traheretur, quivis causæ Arbiter, unicum Veritatis, & nullum cujuscunque Partis studium professus, in nostrum haud dubiè favorem pronuntiaturus esset.

Neque verò per ventilatam hactenus sententiam Pij IV. (ut perperàm intulit Adversarius) *Religionis* ad *Religionem*, sed *Congregationis* duntaxat ad *Congregationem* comparatio est facta.

Interim persæpè rationes & Jura universalia per rationes & jura particularia, quæ locorum *consuetudinum*, & *possessionum* titulis ultimò roborantur, tolli solent, prorsúsque enervari; quia ingens aliàs rerum chaos, & inextricabilis Jurium tam diversorum confusio sequeretur, ex quibus omnibus perpetua litigiorum semina, non sinè multiplici Reipublicæ Christianæ in vario genere damnô ac ruinâ, nascerentur.

Accedit huc, quòd Canonici Regulares Bononienses etiam post latam illam pro Lateranensibus sententiam, & dum Romæ in ipsius conspectu Pontificis versantur, præcedentiam Benedictinis surripere nunquam hactenus tentaverint, cum efficaci utique documen-

tô ad solos Lateranenses obtentum illud qualîcunque demum titulô privilegium pertinere.

Nec solvit argumentum Adversarius, quando propter diversitatem *habitûs* &c. contendit, *diversam* quoque ipsorum Canonicorum (Lateranensium scilicet, & Bononiensium) *speciem* esse; hæc namque ratio si tenet, legitimè infero: ergo Lateranenses, qui ante tempora Leonis X. existebant, *specie* differunt ab ijs, qui deinceps extiterunt: ergo *hujus speciei* Lateranenses, qui nunc dantur, non nisi à ducentis ferè annis sua duxêre initia; quia superioribus temporibus alium gessêre *habitum* Canonici, & istum, quem modò gestant, non nisi ante ducentos annos susceperunt, depositio habitu priori: Cappam scilicet nigram portare olim supra superpelliceum consueverant, cum caputio in capite, loco pileoli quadrati: ut Tamburinus docet, locô sæpiùs citatô.

Verùm, cùm iter Romanum Adversario longius videretur, breviorem inijt viam ad obtinendum scopum, atque ex *Creizlingensium* causâ contra *Peterhusianos* vi *publici decreti* triumphante, idem præcedentiæ jus etiam cæteris Germaniæ Canonicis Regularibus ob ejusdem *speciei* fundamentum attribuit.

Compendiosam profectò, & fortunatam inijsset viam, si comitem quoque habuisset Veritatem, & Bullam illam Pontificiam exhibere requirenti potuisset.

Redarguit quidem Caramuelem, modestè se excusantem, quòd *non viderit Acta litis illius*

illius inter Abbates de Creüzlingen & Petri-domo: ablegátque eundem ad Pennotum, diverſa Bullaria, & Acta Concilij Conſtantienſis.

Ego verò (ut ingenuè profitear) volvi, & revolvi tam Bullaria Cherubini, Ferdinandi Ughelli, Stephani Quarantæ &c. quàm Acta Concilij Conſtantienſis, & ea præſertim, quæ noviſsimè 1697. ex diverſis totius Europæ Bibliothecis accuratiſsimè collegit Hermannus von der Hardt Sereniſ. Ducis Brunſvvic. ac Luneburg. à litteris, & in Academ. Julia Ling. Orient. Profeſſor, nec tamen ullam reperi Bullam, Creüzlingenſibus datam vel à Concilio Conſtantienſi, vel ab Innocentio VIII.

Pennotum quòd ſpectat, non eſt, cur partium ſtudioſo credam, etſi talem fortè alleget; oſtendam enim, illam ipſam Bullam *ſub-& obreptionis* vitio ex pluribus indicijs obnoxiam eſſe.

Si quam Creüzlingenſes habent, exhibeant, ſubjiciántque legitimo examini; an valida ſit, paulò pòſt patebit: &c. De qua tamen ipsâ ſeq. tit. fuſiùs.

Confirmationem denique ex Alviſeto adductam pauciſsimis expedimus: extendit Adverſarius verba Pontificis ultra vim ſignificandi; loquitur ibi Pontifex de Ordinibus *mendicantibus*, inter hos autem quis hactenus numeravit *Noſtros*?

N. III.

Statuitur nostra Sententia, & Benedictinis Præcedentiæ Jus asseritur primò titulô Possessionis &c; *quem efficacissimum esse, ostenditur.*

POstquam detexímus fallibilitatem, infirmitatémque titulorum, quibûs Jus Præcedentiæ Canonicis Regularibus vindicare Adversarius voluit; examinemus nunc, quæ nostra circa propositam quæstionem sit sententia? &, annon solidiores Benedictini, ac quosnam in specie titulos habeant?

Dico igitur, & concludo: Benedictini Monachi præcedunt Canonicos Regulares multiplici ex titulô, præcipuè tamen *Possessionis.*

Potentissimum longè titulum à *Possessione*, & *Consuetudine*, atque emergente ex his *Præscriptione* nasci, in confesso est: *Hanc* verò ubique ferè locorum Benedictinos per tot sæcula, & omni hactenus tempore obtinuisse, & obtinere etiamnum, inferiùs *n. 9.* docebimus, ubi de Præcedentiæ hujus malè ab Adversario allegatâ *praxi* agemus, & luculenter demonstrabimus, in tota ferè Italia, Gallia, & omnibus totius Germaniæ Provincijs, Suevia, Helvetia, Austria, Bavaria, Tyroli, Styria &c. Benedictinos titulô *Possessionis* ante Canonicos Regulares in puncto Præcedentiæ gaudere.

Hujus

Hujus ſanè tituli (*Poſſeſſionis*) tantus eſt valor, vis tanta, & authoritas tam efficax, ut & ſpecialibus in Jure *capitulis* inſigniatur, & vix ullus ſit alius, qui vel ab utriusque Juris Interpretibus fuſiùs, accuratiúſque tractetur, vel à Tribunalibus ſanctiùs, exactiúſve obſervetur, (quando in dubijs plerumque ultimatò ad eundem recurritur) & hinc, ex tritô Juriſtarum, *Reg. 55. Iur. in 6. potior* ac melior, tutiórque *ſit* ſemper, & victoriæ propinquior *conditio poſſidentis*; quem ut adverſa Pars inde deturbet, multô niſu, & rationibus omnino fortioribus opus eſt: nec ſufficiunt in *praxi*, & coram prudente Judice *metaphyſicationes* inutiles, plus imaginationis, quàm realitatis habentes; quales tamen uſque & uſque Adverſarij obtrudunt, dum ſubtili valde inanitate Clericatum ſibi *per ſe*, nobis verò *per accidens* tantùm convenire dictitant.

A Poſſeſsionis jam titulô (quem, ut dixi, infrà, ubi de Præcedentiæ *praxi* agemus, demonſtrabimus) progredimur ad alios inſuper titulos; quos inter proximè veneranda occurrit *Antiquitas*, ubique ſemper & ab omnibus in pretio habita.

N. IV.

Benedictinis Ius Præcedentiæ titulô Antiquitatis *competit.*

SEcundum fundat titulum *Antiquitas*, quâ nobis ſuffragante (ut ſuprà docuimus) aliquot

aliquot planè sæculis Regularium Canonicorum ætatem (si præsertim computum faciamus à tempore apud Authores Classicos receptô) manifestè superamus.

Ex ipsâ igitur Adversarij mente, licèt invitâ, præcedentiæ nobis Jus debetur, utpote *Antiquitatis* titulô gaudentibus; vel non subsistit Adversarij *Major propositio*, in quâ dixerat, & supposuerat, *antiquiorem* Religionem *juniori* meritò, & indubiè in congressu præferri.

Neque alterum dein' Caput (nempe *Clericatus*) deest nobis; jam sæpissimè enim, & ad nauseam usque inculcavimus argumenta in hanc rem superiùs posita, quibus, *Clericatum* Religioni Benedictinæ *per se* competere, solidè non minùs, quàm manifestè vindicavimus.

N. V.

Id ipsum Ius fundat Nomen Abbatis.

TErtium generat titulum ipsius *Nominis*, Dignitatisque *Abbatialis* conditio, cujus tanta Majoribus nostris reverentia, æstimatióque fuit, ut Abbates illi, nondum licèt Infulâ, Pedóque insigniti, in Concilijs tam Generalibus, quàm Provincialibus & *Vocem deliberativam* haberent, & immediatè post Episcopos suô ipsi nomine, & Episcoporum etiam sæpè locô subscriberent.

In rem

In rem verò noſtram apprimè deſervit, quòd in Concilio III. Conſtantinopolitano, adverſus Monotelitas congregato, Patriarcharum vices in ſubſcribendo plures Monachi ſuppleverint: & admirandum prorſus eſt, Abbatúmque Dignitati ſummum afferens ſplendorem, quòd in Niceno II. Concilio ipſius adeò Summi Pontificis locum tenuerit Petrus Monachus & Abbas, eíque Concilio præſederit;

Et quantum denique hac etiam ætate pretium titulo ſit, Nominíque *Abbatis*, haud obſcurè inſinuant ipſi è *Noſtris* Sacri Romani Imperij Principes; qui in celſiſſimo ejuſmodi faſtigio conſtituti, Nomen tamen *Abbatum* conſtantiſſimè retinent.

Et quamvìs *Abbatis* nomen Superiores quidam Canonicorum Regularium hâc demum ætate ſibi etiam arrogent; eis tamen *vi ſuæ Regulæ* nullatenus, adeóque *per accidens* duntaxat competit.

N. VI.

Benedictinis Academiæ, & Doctores &c. ſuffragantur.

QUartum denique conciliat titulum *Academiarum & Doctorum* pro nobis ſtantium, ſentientiúmque venerabilis Authoritas, quam oportet in pretio habeat nolens

lens Adversarius, si meminerit & juramenti, quod in susceptione *Gradûs* deposuit, & tituli, quem exinde comparavit.

Juris Benedictini circa præcedentiam valorem, æquitatémque agnoverunt celeberrimæ in Italia Universitates *Bononiensis*, *Patavina*, *Ferrariensis*; quæ, cùm earum mens, Judicium atque Sententia in controversia Lateranensium & Casinensium requireretur, gravissimè, sapientissiméque in Nostrorum favorem, & pro Casinensibus definiverunt.

Agnovit idipsum Castanæus in *Catal. de glor. Mundi p. 4. consid. 54.* affirmans, quòd *Ordo S. Benedicti præcedat omnes alios, etiam Canonicorum Regularium: & hanc esse opinionem omnium Doctorum, Canonistarum, & Scribentium.*

Agnovit Renatus Chopinus omni, sicut & Castanæus, suspicionis notâ carens Author; qui etiam post decisionem causæ Lateranensis in eandem cum Castanæo sententiam scripsit, ivítque.

Agnovit Tiberius Decianus Jurisconsultus celeberrimus *volum. 9. Respons. 50. n. 37.* ita loquens: *Postremò temeraria profectò videtur esse contentio ista ex parte Canonicorum Regularium (absit audacia verbo) cùm sciant communem opinionem contra ipsos & pro Monachis stare. Esto enim, quòd nullus textus sit clarus, qui hanc difficultatem in individuo decidat, quamquam ex ordine litteræ satis id probavi suprà, & in Consilio deductum fuit; standum tamen*

est.

est communi opinioni Doctorum, de hac ipsa quæstione loquentium. Ubi enim lex deficit, Doctorum Authoritas sequenda est. l. si idem de eod. ff. de jurisdict. omn. Judicum.

Differentem ita pro nobis Decianum Concipista Creüzlingensium, ante triginta fere annos in suo ad Nostra Responso, *Benedictinæ Culinæ Adulatorem* vocare non erubescit, forsan ipse tunc *è culina* redux, dum fuliginosam ejusmodi calumniam in chartam conjiceret. Decianus discurrendi methodum tenet, quam per innumeras materias Juristæ observant, & (quia non omnia in Jure expressa sunt) observare debent.

Discere magìs oportuisset hunc Concipistam, & omnes *communium opinionum* contemptores, quæ Reverentia, quæ Authoritas, quæ fides sit tribuenda sententiæ, quæ *communi Doctorum suffragiô* fulcitur.

Veritatem quidem, ait, *potiorem esse opinione communi.*

Sed ubi Illa (*Veritas*) manifesta non est, ex Istâ sanè (*communi opinione*) & non aliunde erui poterit.

Addit insuper Leguleius ille Creüzlingensis, locutum fuisse *sinè fundamentô, & lege* Decianum, cùm tamen expressam pro se adducat legem *si idem de eod. &c.* Ex quâ dilucidè omnino comprobatur, *deficiente lege, Doctorum Authoritatem sequendam esse.*

Agnovit denique (ut plures alios præteream) hoc Benedictinorum Jus Ferdinandus VVeizeneggerus, Juris utriusque Doctor, Sereniſsimi Bavariæ Ducis Maximiliani &c. Conſiliarius, in celeberrimâ & Catholicâ Ingolſtadienſi Academiâ Profeſſor Juris Ordinarius &c. qui in *Aſſertionibus Iuris Canonici de Perſonis, Rebus* &c. Anno Salutis MDCXVIII. editis, *fol. 17.* in rem noſtram ita loquitur: *Sunt autem & inter ipſos Ordines ſæpenumerò mota quæſtiones circa præeminentiam. Dum videlicet alij antiquitate temporis, alij perfectione ſui Inſtituti, nonnulli numerô eorum, qui ſuam profitentur Religionem, aut teſtimonijs Principum & Magnatum publicis nituntur. Illud conſtat, Ordinem S. Benedicti circa Annum Domini* DXX. *fuiſſe inſtitutum, aliiſque etiam Canonicis Regularibus præferendum.*

N. VII.

Adverſarij malè allegata circa Præcedentiam Praxis *refellitur, & Benedictinorum* Poſſeſſio *demonſtratur.*

AD *Praxin* denique procedit Adverſarius, & *f. 147.* ita loquitur: *In Suevia & Tyroli nullus Præpoſitus infulatus* vicîtim *cedet Abbati Monacho Infulato, nisi forſitan in aliqua civitate, ubi indiſcriminatim nonnunquam*

quam attenditur prioritas receptionis in civitatem. In Bavaria præcedit ille, qui antiquior est in Dignitate Prælatitia; in Austria præcedit, cujus Collegium, vel Monasterium est antiquius, prout Reverendiss. D. Prælatus Canonicorum Regularium Claustro-Neoburgi in Austria omnes Abbates Benedictinos, aliósque, nemine contradicente, præcedit. Idipsum observatur in Styria, Carinthia, & alijs locis &c. ergo quid ex praxi somniaveris, (loquitur suo Antagonistæ) *non assequor. Dixi* virîtim; *nam quid in publicis conventibus fiat, est in præsenti per accidens; quia ibi præcedit ille, qui prius ad talem conventum est admissus, cujuscunque demum sit Ordinis, & Instituti.* Hactenus Adversarius.

Quoniam non latuit Adversarium, manifestiorem, & decantatiorem esse Nostrorum *in publicis Conventibus* præcedentiam, quàm ut in dubium vocari ullatenus possit, hinc effugium quærens, alterum negat, & asserit, *virîtim* saltem Canonicos Regulares præcedere. Condoleo, me hercle! infelicis Adversarij præcipitanti audaciæ, quam obstupescere satis non possum; quis enim capiat, aut credat, posse ab homine Religioso negari ea in publicis etiam typis, quæ typis ipsis vulgatiora sunt.

Quo congressu, quo tempore, quóve loco Suevia nostra vidit unquam, Canonicorum Regularium Prælatis aliquem è Nostris Abbatem *virîtim* cedere, nisi etiam in Collegio Imperiali jure receptionis anteferatur?

An Salemitanus in Sueviæ Circulo *primus* inter Abbates, VVettenhusano omnium *postremo* etiam extra Circuli conventum cessit unquam, aut posthac cedet?

VVeingartensis certè in Electionibus, Exequijs &c. (ad quas ordinariè vocari, ac invitari solet) Celsissimi Ordinarij Constantiensis honoratiorem dari locum Creüzlingano nunquam permisit usque huc, nec deinceps permittet.

Ottoburanus, & Elchingensis &c. Anno 1698. 13. Octob. Augustæ Vindel. in Imperiali Monasterio ad Ss. Udalricum & Afram, dum solennis Translatio Corporum, Ss. VVicterpi, Thosonis &c. fieret, Abbatibus Canonicorum Regularium ad S. Crucem, & S. Georgium ubique præpositi sunt, nec in simili occasione postponi se imposterum sustinebunt.

Hæc ignorat Adversarius, in Suevia tamdiu moratus? At, si scivit, & sciens scripsit illa, quid concludemus?

At accuratiorem forsan informationem habuerit Adversarius quoad Provincias Styriæ, Carinthiæ & Austriæ? in quarum ultimâ (ut refert ipse) *Reverendiss. DD. Prælatus Canonicorum Regularium Claustro-Neoburgi omnes Abbates Benedictinos, aliósque omnes, nemine contradicente, præcedit.*

Communicavi hæc cum viris gravibus, con-

conſuetudinúmque in Provincijs illis vigentium admodùm gnaris, qui vehementer exarſerunt, & oretenus, ſcriptóque ex toto contrarium aſſeverârunt, attributîs Adverſario epithetîs, quibus nolim importunè vel ejus, vel alienas aures gravare.

Ad eandem pertinet farinam, quæ retulit de Tyroli, cùm litteræ abs Admodum R. & Clariſſ. P. Eugenio Speth profeſſo Salemitano, Ss. Theologiæ Doct. ac Notario Apoſtolico &c. (qui in ea Provincia longo tempore moratus, morum omnium, ac conſuetudinum oculatiſsimus fuit obſervator) acceptæ longè diverſa perſcribant.

Bavariæ morem, ſi talis ſit, eximiè commendo; hoc quippe mediô emergentium aliàs litigiorum faces feliciter extinguuntur. Illud tamen adverto, quòd Concipiſta Actorum Creüzlingenſium contrarium abſolutè teſtetur; conſequenter alteruter erraverit.

Hæc de *praxi* Germaniæ; quæ alibi, in Gallia præſertim & Belgio, ſit, audiendus eſt Mabillonius, qui de ea ita ſcribit.

Aio, Eccleſiam, cui Jus ejuſmodi quæſtiones præcedentiæ decidendi competit, primò eſſe Romanam, quæ Benedictinis præcedentiam contra alias Congregationes, ſi Lateranenſem excipias, imtemeratam voluit; aio dein' nomine Eccleſiæ intelligi omnes Eccleſias particulares, nempe Galliæ, Angliæ, Flan-

driæ, Germaniæ, Hiſpaniarum &c. quæ ùt plurimùm eô honorariô Jure Ordinem S. Benedicti condecorârunt ex legitimis cauſis, quarum momenta expendere Operis ratio non admittit.

Et ut de ſola Gallia loquamur, nulla fermè eſt civitas paulò nobilior, in qua concurrentibus utriuſque Ordinis Aſſeclis, Benedictini non primas Antiquitatis ferant; Eô Jure gaudent præcipuè Rhemis, Sueſſione, Cabillone, Belluaci, Noviomi, Atrebati, Turonis, Audomaropoli &c.

Non ſolùm *Conſuetudo* adhuc viva fidem facit, ſed etiam antiqua diſpoſitio in antiquis picturis expreſſa, quæ ordinem conſeſsûs ſuffragia in Conventu Provinciarum ferentium exhibet. Ea effigies æri inciſa occurrit in primo tomo Metropolis Rhemenſis *f. 81.*, ubi cernuntur duo Abbates Ordinis S. Benedicti ſedentes ad lævam, & Abbas Canonicorum Regularium tertium locum occupans. Expreſſa eſt ea figura ex MS. Guidonis de Roye Archi-epiſcopi ſæculô XIII. Eôdem præcedentiæ gradu gaudent adhuc Benedictini Rhotomagi, Biturieis, Andegavi, Cenomanni, Meldis, Carnoti, Claromontij, Antiſiodori, Anguſtoduni, Cadomi, Bajocæ &c. Excipiunt Canonici Regulares Pariſios contra uſum conſignatum in epiſtola Æneæ Epiſcopi Urbis, & contra Ceremoniale Gallicum, quod in exequijs Regijs Monachis S. Germani de Pratis

Pratis primum locum decernit. Ex libro, cui titulus *Neuſtria pia*, diſcimus, in publica ſupplicatione Rhotomagi Anno 1542. inſtitutâ Benedictinos Abbatiæ S. Audoëni, S. Catharinæ, quin & Prioratum Bone-nouvelle præceſsiſſe Canonicos Regulares S. Lautonis, & S. Magdalenæ, & immediatè ante Canonicos Cathedralis Eccleſiæ, ſupplicationis Authores, inceſsiſſe.

Quoniam Canonici Regulares magnum intercedere diſcrimen aiunt inter Conventus Urbium, & Statuum, juvat docere, Benedictinos etiam in publicis Statuum Conventibus eodem Jure gaudere, quô in privatis Urbium conſeſsibus. In Statibus Arteſiæ Abbates S. Vedaſti, S. Bertini, Anchini, & d'Auchel les Moines Canonicos Regulares S. Eligij præcedunt. In Statibus du Tocerneſis Abbas S. Amandi præ cunctis primas obtinet. In Caſtellania Inſulæ Franciæ Abbas Marchiennenſis primum occupat locum, alterum Abbas Lozenſis Ordinis Ciſtercienſium; hunc quidem exturbare conatus eſt Abbas Ciſoini Ordinis S. Auguſtini, ſed decretô anno 1661. Bruxellis datô Lozenſi Abbati poſſeſsio confirmata eſt, etſi hunc antiquitate Abbas Ciſoini vincat. In Statibus Brabantiæ primum ab Epiſcopis locum vendicat Abbas Afflighemienſis noſtri Ordinis, quem ſequitur Abbas Ulierbekenſis ejuſdem Ordinis. Abbas S. Petri Gandavi ex parte Flandriæ omnium primus eſt. Denique S.

Gisleni est Præses natus in Statibus Hannoniæ, alter locus patet Abbati Marolensi nostri Ordinis. Silentio transmittimus illustres Abbatias Germaniæ & Helvetiæ, Fuldam, Campidonam, Corbeiam, Augustanam, Ratisbonensem, Salzburgensem, Trevirensem, Colonienſem, Leodiensem, S. Galli, Einsidlensem &c. &c. quæ ijsdem privilegijs in Conventu Imperij, aut suarum Provinciarum consessibus gaudent. Quare non solùm Benedictinorum Monachorum in Concilijs ante Canonicos Regulares, sed etiam *Regulæ Benedictinæ* ante *Regulam S. Augustini* semper mentio facta est, quemadmodùm in primo scripto Benedictino demonstratum est; cui succenturiari potest Concilium Mediolani Anno 1287. celebratum, in quo statutum fuit, ut Abbates, Monachi, cæteríque Religiosi vitam suam adtemperarent ad Regulas S. Benedicti, & S. Augustini: *Ut Abbates, & Monachi, & reliqui omnes Religiosi ex formula S. Benedicti, & S. Augustini viverent.* Bzovius Anno 1287. n. 2.

Quæ cùm ita sint, mirari lubet, quòd Canonici Regulares jactent, se præcedentiâ gaudere in omnibus *Conventibus Civilibus, & Ecclesiasticis*, audeántque tanquam rem certissimam venditare non solùm in Scriptis suis, sed etiam in libello supplici Regi tradito; quin tanquam rem monstro similem traducere justam Benedictinorum defensionem &c.

Ita

Ita de *praxi* & *consuetudine* aliorum locorum Mabillonius.

Ex quibus evidenter nunquid & dilucidè demonstratam cernis Benedictinorum *Possessionem*?

Et hæc omnia novissimè confirmat Reverendissimus & eruditissimus DD. Nicolaus Bouxhon Abbas Benedictinus ad S. Jacobum, & Examinator Synodalis Leodij, in ad me datis 12. Junij 1701. perhibens: Leodij *absque ulla contentione Canonicos Regulares cedere in omnibus ipsis Benedictinis*; addítque Vir iste doctissimus, *loci consuetudinem in hoc puncto servandam esse potiùs, quàm aliquid Juris statui posse.*

Cujus etiam mentis jam dudum extitit (cum Barbosa) Clarissimus P. Ludovicus Engel noster *lib. 1. tit. 33. §. 6. n. 62. &c. de Abbatibus, Præpositis, & Decanis &c.*

Id, quod èt ego cum omnibus bonis, pacísque amantibus senserim; nec unquam probaverim inutiles eorum conatus, quibus religiosæ pacis & vicinitatis amicæ ratione postpositâ, volupe est per integra volumina, ad abolendam locorum *consuetudinem*, *possessionémque* aliorum turbandam, reliquos cum insigni quietis publicæ damnô noxiè, mordacitérque provocare, & animare, quos inter Coriphæum agit, canítque classicum Adversarius noster.

Ut enim cum Mabillonio demum finiam, diversæ sunt de præcedentiâ Rationes, prout comparantur ad diversas Provincias & Civitates. Aliquando enim attendi solet Antiquitas

Corporum; subinde solùm consideratur Antiquitas receptionis in Provinciam, vel in Societatem; quandoque attenditur dignitas Ecclesiarum, vel situs earum in Urbibus, & Metropoli Provinciarum; aliquando considerantur Patroni Regionum, quorum Corpora in loco aliquo asservantur: Denique ad servitia præstita Provincijs, quæ in gratitudinem præcedentiam contulerunt, non obstantibus rationibus generalibus, minùs faventibus.

Præter exemplum à Mabillonio ex Ven. Beda desumptum, constat id de Monasterio ad S. Petrum Salisburgi; quod postquam Juri eligendi Archi-episcopum ultrò cessit, præcedentiam nihilominus ante omnes Canonicos Sæculares per plura Sæcula constanter retinuit in testimonium, quòd Sedes Archi-episcopalis suam Originem ab ipso trahat.

Etsi igitur rationes generales pro Canonicis Regularibus militarent (quod tamen quàm non fiat, manifestè hactenùs demonstravimus) particulares tamen obsistere, & prævalere possunt: *Sicuti enim lex particularis, cùm est legitimè firmata, derogat Iuri communi*; sic rationes particulares circa præcedentiam debent prævalere rationibus generalibus, maximè tunc, quando innituntur *Possessioni*. De quâ demum quid sentiat Adversarius, modò percipiamus.

N. VIII.

N. VIII.

Adversarij circa Possessionem *objecta diluuntur.*

PRæbeamus nunc aures iterum Adversario, &, quid de Nostrorum circa præcedentiam continuatâ hactenus *possessione*, *præscriptione*, & *consuetudine* sentiat; audiamus.

Fol. 81. contestatur, *particularem unius, vel alterius civitatis consuetudinem, nullô legitimô processu acquisitam, sed vel Canonicorum negligentiâ, vel Monachorum violentiâ extortam, nihil se morari &c.*

Et paulò pòst: *quid* (exclamat) *consuetudo, præscriptio, possessio sit pro Monachis? pro ijs, qui coram omnibus Tribunalibus cecidêre causâ?*

Scrutemur nunc omnium verborum sensum, & mirabimur præproperi calami deviationem.

Ait ille: *unius vel alterius civitatis* &c. Ne à veritate aberraret, *omnium ferè civitatum* dixisse debuerat, vel demonstrâsse potiores, ubi *consuetudo* illa non vigeret.

Ait rursus: *nullô legitimô processu acquisitam* &c. Quô igitur processu opus est Filio, ut re-

ut relictis à Patre hereditarijs juribus, & opibus fruatur? aut quando ante Quadrageſimam, vel quô die prævio inſtituunt proceſſum Hiſpani, ut titulô *poſſeßionis* & *conſuetudinis* uti poſsint in Quadrageſima, ac inteſtinis veſci? Aut ex quo apice Juris in Titulo de *Conſuetudine & Poſſeßione* inſinuatur, quòd ad ejuſdem roborationem prævius requiratur proceſſus?

Ait deinde: *Sed vel Canonicorum negligentiâ* &c. Quàm ingenuè, quàm reverenter, quàm modeſtè ſuos tractat Majores Adverſarius! inter tot dormientes ſcilicet unus hic in nocte perpetua Cuſtos vigilem agit, & ubi cæterorum lippiebant oculi, lincis ille præſefert aciem: nollem ego ſedulus videri, ſi reliquis, & Seniòribus quidem per id *Negligentiæ* nota affricaretur.

Tulerunt priora etiam ſæcula Viros, quibus tantum animi, ut auderent, & tantum doctrinæ fuerat, ut poſſent invadere, ſi ſuaſiſſet æquitas.

Ait quartò: *vel Monachorum violentiâ extortam* &c. Hîc, niſi cum Religioſo mihi quoque homini Religioſo negotium foret, ex calumniæ meritô, & more ſæculi agerem cum Adverſario, & verba iterum reſorbenda redderem. Onus probandi incumbit Adverſario, aut ad palinodiam obligatur; vel demonſtrandum ipſi erit, nunquam non committi violentiam, ubi

ubi quis contra iniquum Aggreſſorem ſe, ſuáque viribus, modíſque omnibus tuetur.

Si qui Noſtrûm Canonicis Regularibus in propugnando Præcedentiæ Jure reſtiterunt, *violentiam non intulerunt*, ſed *repulerunt*, quia ſua defendebant Jura.

Ait denique: *nihil ſe morari.*

Undenam quæſo novus hic reſpondendi modus? Ergo non curandi ſunt, ſed flocci habendi *poſſeßionum*, *conſuetudinum*, & *præſcriptionum* tituli, alias ſemper, & in omni foro efficaciſsimi? Ergo contemnendæ, quæ ſolvi nequeunt, objectiones? Ergo argumenta, quorum vis non elidi poteſt, riſu explodenda?

Quod *tribunalia* ibidem allegata attinet: quæro ex Adverſario, quænam ſint illa?

Reſpondet quidem ipſe, eſſe ſuperiùs enumerata *f. 75. Commentarij ſui*; & enumerari etiam à Tamburino noſtro *to. 1. de Iur. Abb. D. 25. q. 1.*

At de his nullibi quidquam Tamburinus, nec ullius victoriæ mentionem facit idem, niſi ejus, quam de Caſinenſibus Lateranenſes reportarunt. Innuit quidem aliquid de controverſia Petrhuſianorum, & Creüzlingenſium; ſed cautè ſimul addit, nullam deſuper emanâſſe *Sententiam*, ſed (formalia ipſius appono) *à Ioanne poſtea privato gratiam factam ſinè cognitione cauſæ, ad preces, & expoſitionem*

unius

unius ex partibus, sub illa erronea narrativa &c. Cui (gratiæ) Benedictini Petrhusiani nihilominus *se opponebant.* Quâ de Causâ tamen peculiariter infrà. Interea, si aliæ etiam victoriæ, quibus Adversarius ibi gloriatur, sint tam illustres, luculentæ ac certæ, ut Creüzlingensis: nolim ego palmas inde comparatas cum ipsis esse nobis communes.

Enimvero, si impunè Adversarius, & prudenter rejicit titulos *possessionis, consuetudinis, & præscriptionis* ubique Gentium, & universaliter aliàs receptos, cur nos *moremur* particularem tantùm, & in causa Congregationum non nisi duarum (Casinensium & Lateranensium) decisionem? *mutilam* præterea, & *conditionatam?*

Mutilam dixi; quia post litem integrô sæculô agitatam, lucrum adhuc inter partes dividit; quando vi ejusdem decisionis Casinenses in Generalibus Concilijs &c. eodem contra Lateranenses præcedentiæ Jure gaudent, ubi gravior ætas Abbatem ornat.

Conditionatam dixi; quia hoc præcedentiæ Jure sub eâ tantùm conditione fruuntur, *si dimissâ superiori veste, palliô, seu cappâ, in linea veste* (superpelliceo) *incedentes cum quadrato unum cum Clero Corpus efficiant*: ut recenset Mabillonius ex Tamburino. Sepositô autem vestitu hoc, & in alijs congressibus, mutantur illicò jura; quemadmodum ingruentibus subinde pluvijs cùm Canonici Lateranen-

ses

ſes pallijs, pileiſque uterentur, in publica proceſsione Caſinenſes præcedentiam occupâſſe, & in facie populi Romani triumphâſſe, ex certiſsima relatione compertum habeo.

Nec eſt, cur tam intempeſtivè glorietur Adverſarius noſter, quaſi Benedictini coram omnibus hactenus tribunalibus in puncto præcedentiæ causâ ceciderint: quando noviſsimè *Anno* videlicet *1679. 14. Aprilis* Monachi Caſinenſes contra ipſos etiam Cathedralis Eccleſiæ S. Germani Canonicos è Rotta Romana nobiliſsimam reportârunt palmam: ut deciſio, quam penes me habeo, inde emanata teſtatur. Quodipſum in cauſa quoque Caſinenſium & Lateranenſium futurum, ſi ad trutinam hodie denuo revocetur, perſuaſiſsimum habeo.

Verùm, quid pluribus in re per ſe dilucidâ opus? ſi ipſum adeò *Poſſeſſionis* titulum negare, aut contemnere Adverſarius non erubeſcit, aliud quid ſperandum, niſi mera undique omnium omnino Ordinum, ac Statuum confuſio?

Cui tollendæ utinam tantilla, quam impendi, opera modici quid ſaltem conferat! Utinam in aureum, quem intendi, pertingat ſcopum! Utinam ad Sanctiſsimi Patriarchæ noſtri ampliſsimum honorem, & Benedictini Nominis, ac Religionis florentiſsimæ fœcundiſsimam propaginem! Utinam in obſequium Reverentiæ Chriſti, PRINCIPIS Gloriæ, SACERDOTIS ſecundùm Ordinem Melchi-

chisedech, SCIENTIARUM Domini, & Lucis omnem hominem ILLUMINANTIS, cujus æterna Generatio NON HABET FINEM! Utinam in debitum immortalis Gloriæ holocaustum Ss. & individuæ Trinitati! Cui CHERUBIN & SERAPHIN inceſſabili voce proclamant SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS: Cui èt à nobis ſit *Benedictio, & Claritas, & Sapientia, & Gratiarum Actio*: &c.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Egger, Felix,

Idea ordinis Hierarchico-Benedictini

Friburgum Brisgovia 1715
H.mon. 144
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10029727-6
VD18 14447053-001